

1.  
2.  
3.  
4.  
5.  
6.  
1.  
2.  
3.  
4.





1654.

1. Bardili, Burkhardus. De conditione ex lege ad sup-  
plementum legitimae
2. Lauterbach, Wolfgang Adamus: Praecipuae juris commu-  
nis et Rectoralis Saxonicae Differentiae.
3. Lauterbach, Wolfgang Adamus: De singulari fratrum  
jure.
4. Lauterbach, Wolfgang Adamus: De relatione juris ju-  
randi
5. Lauterbach, Wolfgang Adamus: De varietate Temporum

1660.

1. Fromman, Johannes Ruders: De datione in solutum.  
art. 4. C. de creditis.
2. Lauterbach, Wolfgang Adamus: De solemnitatibus testame-  
torum
3. Lauterbach, Wolfgang Adamus: De nuncio.
4. Lauterbach, Wolfgang Adamus: Controuersae juris positiones



1640

5. Mauritius, Præses: De nobilitate imperialis Germanicæ.

1641.

1. Bardili, Bartholomæus: De delegatione . . .  
De traditione, quæ est modus acqui-

2. Frommann, Johann Andreas:  
rendi dominium.

3. Lauterbach, Wolfgang Adamus: Juris communis et provin-

cialis Wuertembergiæ differentie principes.

4. Hachler, Heinrich von: De epistola.  
Lauterbach, Wolfgang Adamus:

5. Lauterbach, Wolfgang Adamus: De societate bonorum conjugali.

6. Lauterbach, Wolfgang Adamus: De pecunia adventitia irregu-

lari

7. Lauterbach, Wolfgang Adamus: Differentie juris commu-

nis et Wuertembergiæ in causis vicinis aliis.



u.  
r.  
f.  
li.  
-  
u.






- 140  
 1. Baur, Johann : De utilitate impiorum Linnæi  
 141  
 2. Baur, Johann : De utilitate impiorum Linnæi  
 3. Baur, Johann : De utilitate impiorum Linnæi  
 4. Baur, Johann : De utilitate impiorum Linnæi  
 5. Baur, Johann : De utilitate impiorum Linnæi  
 6. Baur, Johann : De utilitate impiorum Linnæi  
 7. Baur, Johann : De utilitate impiorum Linnæi













CONSTITUTIONES  
ELECTORIS  
SAXONIAE

FRIDERICO AUGUSTO  
S. REX.

In Augustano Jun. Consistorio

Actum die 17. Septembris

Reverendi viri doct. Rectoris Universitatis

JOHANNIS CAROLUS,

Magister





ol. J. L. Do ...





Cum DEO!

ANALYSIS 17

L. 4. C. de Eviction.

MATERIÆ

De

DATIONE IN  
SOLUTUM,

Von

Geben und Annehmen an Zahlungs-

Statt/

Prægutsum exhibens.

Quam

Illustriſſimæ & Perantiquæ Universitatis Tubingensis,

SENATU AMPLISSIMO

decernente

&

NOBILISSIMO ICTORUM ORDINE

annuente

Solemni Eruditorum Examine

PRO LOCO

IN FACULTATE JURIDICA,

juxta morem obtinendo

decēter ſiſtit.

JOHANNES ANDREAS Gromman

U. J. D. & Professor.

Respondente

THEODORO HASENLOFFIO, Austriaco.

TUBINGÆ,

Ad diem 8. Junij, in AULA NOVA.

Typis Kernerianis, Anno M. DC. LX.







SERENISSIMO PRINCIPI AC

DOMINO, DOMINO

EBERHARDO,  
DUCI WÜRTEMBER-  
GIÆ ET TECCIÆ, COMI-  
TI MONTISPELIGARDI, DYNASTÆ  
HEYDENHEMII ET OBER-

KIRCH, &c.

PRINCIPI,

Pio, Forti, Magnanimo,

Pacifico, Felici, Optimo,

Domino suo Clementissimo.

*Exercitium hoc Academicum*

*humilima devotissima mentis veneratione*

*inscribit, dedicat, offert,*

*subjectissimus servus*

*Theodorus Hasenloffius,*  
*Respond.*



SERENISSIMO PRINCIPALI

DOMINO DOMINO

EDWARDUS

DUCI WILHELMO

GIANNI

TIMONIS

HYDROGRAPHI

PRINCIPALIS

EDWARDUS

EDWARDUS

EDWARDUS

ED





C. I. N. D. N. I. C.  
ANALYSIS L. IV. C. DE EVICT.

PROÆMIUM.

**H**æc seculi ad finem ruentis rerum omnium <sup>Proæmium.</sup>  
est conditio, ut turbato ordine contra regu-  
las agatur, quicquid ferè agitur. Volun-  
tas & necessitas pro ratione stant: illa qui-  
de justitiæ odio & indignatione; hæc ejusd.  
commiseratione. Contra illa jura suo nituntur rigore;  
hæc verò pressos auxiliis, quibus possunt, juvant, id in-  
ter alia, summa æquitatis ratione, (vid. Matth. Steph.  
Comm. ad Nov. 4. n. 33.) agendo, ut in voluntatem ver-  
tatur necessitas, quæ aliàs Magistratus imperio esset  
augenda. Aliud pro alio invito creditori ne solva-  
tur, vult tertium summum juris præceptum, multis le-  
gibus adhuc confirmatum. Sed & ipsum, ubi parata  
pecunia debitori, qui solvendo est, licet non id, quod de-  
betur, non suppetit, necessitati se submittit, secundum  
dispositionem d. Nov. 4. c. 3. in Rec. Imp. noviss. de  
an. 1654. §. So viel nun die Capitalia. verbis ex-  
pressis approbatam; ita tamen ut præ illa adhuc intra  
justitiæ & æquitatis cancellos redactum modum in-  
venerit, qui non solvendo nihilominus obligationem  
solvat: ex necessitate sine necessitate: dico: utriusque  
debitoris & creditoris libera voluntate. Is est Datio  
A in



in solutum : *modus obligationem dissolvendi talis quo non alius nostro tempore magis frequentatur. Videmus enim per calamitates bellicas eò nos redactos, ut commercia ferè cum chartis hodie ampliora sint, quam cum nummis: verba sunt Dn. Marvij disc. lev. inop. deb. cap. 7. n. 16. Quo de, quò pauciora, eaque hinc inde dispersa apud Dd. reperiuntur; eò dignior videtur esse materia, ut in ordinem cogatur, penitiusque consideretur. Quod tamen hac vice non nisi analytica tractatione textus in hanc rem opportuni, nempe l. 4. C. de evict. fiet. Assistat instituto alma Themis!*

Sequitur  
 Analysis ipsa  
 secernens ea,  
 quæ sunt ex-  
 tra legem, ab  
 illis, quæ sunt  
 in lege ipsa.  
 Illa  
 continent  
 legis  
 Inscriptio-  
 nem.  
 In qua oc-  
 currit  
 I.  
 Efficiens,  
 s. author  
 isque consi-  
 deratur  
 tum  
 In Se,  
 Et quidem  
 ratione  
 1. Nominis  
 2. Temporis  
 imperij

I.  
 Ita ferè semper in legum Cod. resolutione observatur, ut  
 Imox in principio tractationis analyticæ limine ea, quæ sunt extra legem,  
 ab illis, quæ sunt in lege ipsa, seu de legis materia objectiva (opera sanè  
 non in totum otiosa aut speculativa) secernantur. *Extra legem* autem  
*inscriptio* semper (apocryphis & spuriiis plerisque textibus ex Basilicis à  
 Contio, Augustino, Cujacio Codici insertis, exceptis) *subscriptio* plerun-  
 que consideranda occurrit. Utramque in proposito textu habemus: Il-  
 lam quidem continentem constitutionis hujus tum causam *efficientem*,  
 tum *subjectum*.

II.  
*Efficiens* sive *Author* dicitur Imp. Antoninus: cujus cogno-  
 nentum subnotata temporis assignatio prodit; nempe quod fuerit Bassia-  
 nus, dictus Caracalla, filius Severi Imp. à quo in Imperii consortium ad-  
 scitus in constitutionibus & rescriptis conficiendis (quæ quamplurimis  
 in Codice titulis initium dant) sociam eidem præstitit operam, inde qui-  
 dem ab ejus imperii primordio, nempe anno post natum Christum 194.  
 per l. 1. C. ubi de crim. l. 1. C. de fidej. min. Præsuppositò, subnotationi tempo-  
 rum per numeros factæ, in nostris Codicis exemplaribus per omnia fidem  
 habendam esse; quod tamen infinitis moti argumentis & mendis meritò  
 ne-



negamus. Sufficiat vel de his saltem Impp. id adduxisse, quod in edit. Gothofr. Aurelij op. de anno 1604. conjunctim illis tribuantur leges adhuc anno 215. l. 3. C. de exec. rei jud. 219. l. 1. C. de bon. libert. 225. l. 1. de his, quibus ut indign. 226. l. 1. C. si ut omis. sit caus. test. 264. l. 1. C. de dol. mal. imò (ita incuriæ vel exscriptorum vel typographorum nihil absurdum nimis!) 594. in l. 1. C. de edict. D. Hadr. toll. cum tamen jam anno 212. Severus fato functus Antonino filio sceptrum reliquerat, & Consules ubiq; adjecti mendū statim prodant. Sed uti in genere illa Chronologia rerum à nostro tempore remotiorum ferè parum certitudinis habet: ita de anno quo cœperit præesse solus, (quemadmodum & de eo, quo à Macrino successore per immisos sicarios interfectus fuerit) neutiquam certi reddimur à Chronologis, quibusdam annum exordii ejusmodi notantibus 211. quod facit *Micrælius lib. 2. sect. 3. de tert. atat. Rom. Mon. p. 522. & plur. Rev. Amplis. ac Celeberr. Dn. D. Wagnerus, dignissimus Vniversit. nostræ Pro-Cancellarius, Patronus & Collega meus observanter colendus, in Instit. Hist. lib. 7. c. 1. p. m. 384. aliis 213. uti author tractatus des Estats Empires & princ. du mond. p. m. 692. & nuper Pierre de Ste Cather. in tabb. Chronol. aliis 214. ut P. Bertius in ser. Impp. Rom.*

Partim ex  
Chronologi-  
cis,

## III.

Sanè postquam ex Cancellaria ad annum usq; 210. l. un. C. de privil. dot. & 211. (sine dubio n. ita loco 311. subscriptio ibid. in d. exemplari corrigenda) ipsius Antonini & Patris Severi nomine conjunctim rescripta emanarant, inde ab anno 212. usq; ad annum 219. serie tum annorum tum Consulium concordante, ejus solius inscripta nomine infinita obvia sunt. Quod ostendere, paucis tamen, non pigebit. Nempe Cons. anno 212. Gentiano & Basso, l. 1. C. de transact. l. 2. C. de dol. mal. l. 5. C. de inoff. test. l. 1. C. comm. utr. jud. l. 1. C. ad SC. Vell. l. 1. C. de his, quæ sub mod. l. un. C. de Confess. (qui annus eò pluribus textibus erat muniendus, quo major in limitibus solet esse oppugnatio. Eo autem mortuus scribitur Severus, nempe prid. Non. Febr. sec. Cont. in fast. Consul.) anno 213. Duobus & Aspris h. l. 4. & seq. l. 6. C. de inoff. test. anno 214. Antonino Aug. IV. & Balbino. l. un. C. ne tut. vel cur. vect. l. 1. C. de in lit. dand. tut. l. 2. C. arb. tut. anno 215. Messala & Sabino. l. 1. C. de cur. fur. anno 216. Læto & Cereale. l. 1. C. de alim. pup. pr. anno 217. Sabino II. & Anulino. l. 3. C. de instit. & substit. anno 218. Præsente & Extricato. l. 3. C. de contr. stip. anno 219. Antonino & Advento, l. 8. C. de N. G. Ultra hunc annum ( quantum nos quidem

Partim ex  
Ipso Codice.



recordamur) Codex de hoc Imperatore flet; nec Fasti Consulares ultra hos Cofs. Antonini ætate progrediuntur, in hoc cum Compilatoribus Codicis concordēs. Vid. M. Aurel. Casiodori Chronicon ad hunc Imperatorem. Linquamus ergo Chronologis suas lites, contenti circa hoc tempus ad gubernacula Imperii certò confedisſe Antoninum, Caracallam à diſſoluta veſte dictum.

## IV.

5. *Morus.*

Dicimus Antoninum, illum Ulpiani J. C. Imperatorem, cujus cum alii J. Cti, tum verò præcipuè idem plurimam in pandectis facit mentionem vel cum Patre, l. 9. de captiv. l. 23. §. 1. de condiç. indeb. l. 14. §. 4. ad SC. Treb. l. 15. §. 3. de re jud. Vel sine eo, nomine ipsius Antonini vel expreſſo: cui Magni prænomen etiam addidère. l. ult. §. Magnus. 1. de publica. l. ult. pr. de veteran. l. 11. §. de legation. vel etiam ſubintellecto ſub nomine Imperatoris ſimpliciter prolato. Obſervavit enim Briffonius de V. S. voc. Imperator, p. 275. quod quotiescunq; apud Ulpianum legatur: Imperator noſter, uti id fit in l. 43. de jur. fiſc. l. 1. §. ult. de pollic. &c. toties Antoninus Caracalla intelligendus fit. l. 4. §. 5. verſ. quadam. de offic. Proconf. l. 6. §. 1. de pollic. l. 5. §. 3. de appell. recip. Imperatorem dicimus, optimorum J. Ctorum, quos à latere habuit (inter illos Paulum, Papinianum, Ulpianum) conſiliis feliciffimum; at affectibus ſuis & fato minimè talè. Tyrannum enim, parricidam, perfidum, ingratiſſimum, libidini indulgentem fuiſſe, Nilus Alexandrino ſanguine rubens; Getæ fratris, Cilonis præceptoris & educatoris, Papiniani J. Cti, cædes; Oſthænorum & Armeniorum Regibus perfidè injecta vincula; deteſtandus cum noverca inceſtus; alia item deteſtanda, facile evincunt. Qui ut ut à nemine leges accipere voluerit, aliis tamen dando boni Principis partes egit, quas in hoc eundem gnæviter egiffe, Codex noſter luculento eſt teſtimonio.

## V.

Tum in  
Utilitate  
notationis.

Hæc ipſa autem cauſæ efficientis legis alicujus inſpectio conducit 1. ad hoc, ut inde mox præſumere liceat, legem talem non eſſe ſpuriam, aut privatâ authoritate, adeoquæ ſine authoritate, in Juris Juſtiniani volumine inſertam; ſed Juſſu Juſtiniani: adeoquæ ſui robore ad deciſionem cauſarum valere: cum apocryphæ leges pleræque authore careant, vel ſub incerti authoris nomine fluctuent. vid. leges pleræque l. 16. C. de episc. aud. ſequentes. l. 11. l. 13. C. de heret. 2. Ut ſi in conſtitutione quadam vocabuli alicujus interpretatio ex uſu communi ejus ætatis ſit ſumenda: quod ſæpiſſimè



mè contingit, C. *quamvis. 9. X. de V. S.* is ipse è Jctorum, qui ejusmodi Imperatoris tempore floruerunt & scripserunt, libris & responsis, aut aliis ejusdem Imperatoris rescriptis addisci & probari feliciter queat. vid. quæ in hanc rem, quanquam paucis, monet Dn. Tab. *disput. de jur. socid. th. 9.* Hæc de Authore.

## VI.

*Subjectum* hujus constitutionis est Georgius, privatus quidam: ad cujus, controversiam de prædio aliis obligato in solutum à se accepto metuentis, preces, informationem ab Imp. petentes, rescribitur. Ea enim superiorum temporum Imperatoriæ Majestatis erat humanitas, ut privatis etiam petentibus consilia suggererent Imperatores, & responsa, propria manu subnotando, darent ad libellos porrectos, *testante Sueton. de Augusto. cap. 53. Promiscuis salutationibus admittebat & plebem, tanta comitate adeuntium desideria excipiens, ut quendam joco corripuerit, quod sic sibi libellum porrigere dubitaret, quasi elephanto stipem.* De quibus rescriptis, ex quibus maxima Codicis nostri pars consistit, multa collegit Brissonus *de formul. lib. 3. p. m. 292.* Privatum autem dum subjectum hujus constitutionis diximus, eo ipso mox innuimus, ad quam constitutionum speciem pertineat, Rescriptum nim. & quidem Annotationem. Dn. Rebhan. *Avunc. Præcept. & Patronus noster pie observandus, in hodeg. p. 60.*

II.  
Subjectum  
impetrans.

## VII.

Sequitur *Subscriptio*, quæ continet subnotationem temporis eamque secundum Romanorum tum veterem Antonini scil. tempore adhuc usitatam & genuinam, tum recentiore & suppositam computandi annorum seriem rationem. Illa fit præter diem per Consules ejus anni, quo emanata hæc constitutio, & his quidem verbis: *Duobus & Aspris Coss.* In modo dicta editione Gothofr. legitur sub finem *l. 1. C. de mag. conv. Duobus & Aspiris.* Sed ut vitium typographicum hanc lectionem redolere dicamus, cæterorum textuum omnium concordia facile impetrat: quorum cumulum in præsentī divisum saltem exhibere placet, nempe *l. 1. C. ex quibus caus. maj. l. 6. C. de inoff. test. l. 1. C. de in-stit. aët. l. 2. C. de test. tut. l. 3. C. de adm. tut. l. 1. C. arb. tut. l. 2. C. de lib. prat. l. 1. C. de præd. min. l. 4. l. 5. C. de oper. lib. l. 1. C. de test. mil. l. 1. C. de fideic. l. 1. C. de accept. l. 5. C. h. t. de evict.* Qua ratione autem hujus

Subscri-  
ptionem  
habentem  
temporis no-  
tationem.  
Quæ exa-  
minatur  
tum  
In Se-  
secundum  
computandis  
rationem  
&  
veterem.



anni Consules in plurali numero contra morem, constantissimâ per totum Codicem lectione, efferantur, ac si quatuor uno tempore fuerint, ex authoribus & glossatoribus quid dicamus, non habemus. Sed cum non nisi duobus Consulibus fasces fuerint dati, & præter Asprorum familiam, in fastis Consularibus notissimam, Duorum familia ignoretur, conjectura est ita legendum esse: *Duobus ex Aspris*. Nam ex illa familia duos eo anno Consules fuisse, nempe M. Pompeium, M. F. Asprum, & Asprum, narrat *Iac. Labith. in Indic. p. m. 567. Contiùs in fast. Consul. Onuph. item Panvin. fastor. lib. 2. pag. 43. & in comment. ad d. lib. p. m. 251. his verbis: Primo Caracalla & Geta imperij anno duo Aspri Consules fuisse memorantur à Casiodoro, Fastis Græcis & libro Cuspiniani.* Recentiori verò computandi ratione, Justiniani nostri tempore inventa, vid. Dn. D. Wagner. in d. instit. histor. lib. 1. c. 5. pag. 30. designatur æræ Christianæ annus 213. ratione à sublimiore subsequentibus temporibus petita principio. Quæ in honorem nativitatis Christi, & ut in re maximè temporali æterni illius mysterii saluberrima recordatio animis obversaretur, laudabili instituto inita fuit, & postmodum Ethnicorum etiam Impp. constitutionibus accommodata.

Novam,

tum  
In observa-  
tionis utili-  
tate.

Ea, que  
In lege ipsa  
occurrunt,  
inspiciuntur,  
tum  
Conjun-  
ctim  
in textu toto.

## VIII.

Et hæc temporis observatio sua quoque utilitate non destituitur. Etenim illa 1. impedit, ne ordo Imperatorum, juxta annorum seriem in Codice à Compilatoribus accuratè structus, facile invertatur, ac constitutio aliqua tribuatur uni, cujus ipse author esse nequit. 2. Emendatio prioris alicujus legis facta per posteriorem contrariantem colligitur ex temporis annotatione; quo beneficio si destitueremur, jus facile nobis redderetur incertum. Quod autem in Codice leges priores corrigantur & emendentur à posterioribus, si non in totum, ex parte tamen, dudum observavit *Cujacius 19. O. 21. per l. 11. & l. 12. C. de edif. priv. & 3. O. 30. per l. 4. & l. ult. C. de collat. vid. l. 34. & l. 36. C. de donat.* quas correctiones *Gothofredus* signo † studiosè notavit.

## IX.

Sed hæc hæctenus proposita, ut ut ad rescriptum hoc sese habeant efficienter, subjunctivè & adjunctivè; non tamen ipsam juris in eo analyticè enucleandi dispositionem tangunt: ea namque ex ipsis textus visceribus est petenda. Cujus verba, ut benevolo Lectori mox perata adsint, meritò



in tractatione eorum, quæ sunt in ipsa lege, nunc bono ordine instituen-  
dâ, proponimus. Ea verò sunt in hunc modum concepta:

*Si prædium tibi pro soluto datum est, quod aliis  
creditoribus fuerat obligatum, causa pignoris  
mutata non est. Igitur si hoc jure fuerit evi-  
ditum, utilis tibi actio contra debitorem com-  
petit. Nam hujusmodi contractus vicem  
venditionis obtinet.*

## X.

Id cumulo quasi exhibita legis nostræ verba separanda mox ab initio  
veniunt, ut singulorum significatio menti rescribentis nostroque instituto  
aptetur. Orditur ergo Imperator Rescriptum hoc voculâ

*Si, vim significandi hîc, ut constat, non habente interrogativam:*  
quæ rubricis in Codice familiaris; sed causativam seu confirmativam pro-  
positionis antecedentæ; aut potius suspensivam decisionis ad casum veri-  
tatis narrati facti. Cum dictionis hujus natura sit, non tam causam facere  
quam conditionem negotio adjicere. Modus rescribendi quò tutior, eò  
Imperatoribus, quod ex toto Codice apparet, frequentior: scilicet ut con-  
sulentibus juris decisionem repetitâ prius facti specie aperiant, nec simpli-  
citer semper, sed sæpe cum veritatis expressâ commonefactione: si vera  
sunt, quæ precibus complexus es, l. 13. C. de transact. si hoc ita est, l. 5. C. ad  
l. Corn. de sicar. quæ si ita sunt, l. 2. C. si mat. indemn. prom. quales formu-  
las collectas videre licet ap. B. Briffon. de formul. lib. 3. Eleganti moni-  
to, juris responsa non esse præcipitanda, sed factò benè cognito & consu-  
lenti denuo proposito proferenda; ne forsan ex unius circumstantiæ,  
(quam totum jus variare posse decantata juris regula est) neglectâ ponde-  
ratione, aut alienæ insertione injustitiæ quis existat patronus. Vid. Jacob.  
Bouricij Advocatus cap. 10. Quod ut veteres observarunt J Cti, Barb. lo-  
cupl. in voc. factum ax. 2. ubi latè in hanc rem; ita nec moderna J Ctòrum  
collegia hunc respondendi aspernantur modum. Neque verò etiam consi-  
lium petentibus simpliciter fides semper adhibenda; sed, uti jam dictum,  
sub veritatis conditione de jure sunt informandi. Cujus rei rationem ex-  
pertissimus ille Advocatus Bouricius d. l. hanc addit: *Solent enim homines*

ma-

Seu  
in omnibus  
legis totius  
verbis.

tum  
Separatim,  
& quidem  
tam  
In partibus  
minoribus  
Scil. verbis  
singulis.  
Si.



magno decepti errore causa sua secreta celare, imo fictis coloribus ita eam exornare, ut nisi Advocati diligenter attendant, rei veritatem exquirere & indagare nequeant. In quo tanta ap. Imp. Zenonem fuit sanctæ justitiæ religio, ut nullum rescriptum, clausulâ illâ expressâ: *Si preces veritate nitantur*, destitutum, valere debere constituerit in *l. ult. C. de div. rescr.* quam tamen postmodum Pontifex, etiam non expressam, in omni rescripto subintelligendam sanxit in *C. 2. X. de rescript. Vallens. in par. Iur. Can. X. eod. §. 2. n. 4. Zoës. in comm. ad lib. 1. decr. t. de rescr. n. 27.* quod generaliter in cujuscunque Principis rescripto moribus obtinere constat. *Vid. Pac. in anal. C. d. t. n. 7. Consil. Marp. vol. 3. consil. 8. num. 54.*

## XI.

**Prædium.**

Subjungit Imp. *Prædium*: quod juris in hac lege tractati subiectum est materiale, fundum denotans sive is ager sit, sive ædificium ruri aut in urbe extructum *l. 115. de V. S. & ibi Gædd. n. 5.* Quod, rejecta Varro- nis etymologia, quâ à præstando, fructus seu redditum, dictum autumat, & cum eo *Gædd. d. l. 6. textui nostro, & maximè l. 15 ff. qui satud. cog. convenientius cum Wesenb. par. ibid. num. 11.* à prædibus dictum asserimus: non tantum quod expressâ inter debitorem & creditorem conven- tione initâ, hic ipse rebus non minus ac prædibus seu fidejussoribus de credito securior reddatur: uti vel ex nostra saltem lege apparet; verum etiam quòd in cautionis judicio sisti præstatione sola possessio rerum im- mobilium, i. e. prædiorum jure domini (directi an utilis, veri an ficti nil interest) subnixa fidejussoribus æquipolleat, *d. l. 15. per tot. possessio- remque à fugæ vel latitationis suspicione liberet, nullo alio præstito: uti contra alios hanc opinionem cum Wesenb. d. l. n. 1. defendit Dn. Hahn, ad eund. d. l. & Dn. Tabor, in disp. ad eund. 5. quæst. 10.*

## XII.

**Tibi.**

Pergit Imper. *Tibi*. Sc. creditori supplicanti. Sermonem inflectit ad hypothesin, quia preces ita ad sacrum oraculum fuerant transmissæ à Consulente Georgio. Duplicem n. & proponendi desideria privatorum & ad ea respondendi modum nempe in thesi & in hypothesi, sive ut Macri Jcti verba, quæ habentur in *l. 1. §. 2. ff. qua sent. fin. app. resc.* applice- mus, de jure constitutionis, & de jure litigatoris, fuisse tum, cum Impera- tores adhibitis in consilium Jurisperitis ad partium libellos supplices re- scriberent, neminem latere potest, qui Imperatorum rescripta in Codice  
vel,



vel obiter ad se invicem comparaverit; maximè verò illa, quæ de jure certo ac minimè controverso prodierunt. Quorum farraginein eurioso studio à Briffonio d. l. p. m. 299. & seq. collectam habemus.

## XIII.

*Pro soluto datum.* Verba hæc si in nativa & propriâ significatione accipienda forent, innuerent prædium Georgio datum, venditatum fuisse pro libero, nec pignoris jure affecto: significatione scil. bonis authoribus non incognita. Ita enim Cicero soluta prædia nulli obligata vocat in orat. de L. Agrar. ibi: *soluta meliore in causa sunt, quam obligata.* Briffon. lib. 17. de V. S. voc. *soluta.* Cui explicationi etiam favere videtur ipsa in textu instituta oppositio, ibi: *pro soluto quod obligatum;* ut ita dationis factæ non causam seu titulum, sed objecti qualitatem simulatam respicerent. Verum hæc verba ad sensum Jurisprudentiæ proprium, & ex ipso textu nostro satis evidentem, applicanda sunt. Tegitur illis negotium, quo mutuo consensu (de illa ergo datione in solutum, quæ fit à Judice & Dd. adjudicatio vel addictio vocatur: de qua ex omnibus fusius tractat *Asin. tr. de execut. §. 4.* hinc non agitur) dico mutuo consensu (nec enim creditor potest cogi, ut aliud pro alio accipiat. *Dn. Carpzov. p. 2. decis. 164.* nec debitor, ut aliud pro alio solvat. *Dn. Ph. Chr. Richter, p. 2. decis. 98. n. 33. ubi præjud.*) aliud pro alio à debitore cum omni jure, quod in ea re habet, in creditorem transfertur, & ab hoc accipitur, ea utrinque mente, ut in liberationem veri debiti cedat, illudq; re tali ita data, pro soluto habeatur, licet revera & naturaliter solutio ejus facta non fuerit, l. 46. de solut. Quod negotium Jctis appellatur Pro soluto datio, pro soluto dare. Quæ phrasi tamè rarius utuntur, & præter l. 24. pr. de pign. act. ac præsentem nostram in nullo aut certè in paucis textibus forsan occurrit; frequentior autem est illa: In solutum datio, in solutum dare, quod ex l. 40. §. f. de minor. l. 5. ad SC. Vellej. l. 19. §. f. de R. C. l. 1. C. si ant. cred. aut tradere, l. 14. C. mandat. l. 8. C. de sent. & interl. & infinitis aliis textibus constat: quasi dicatur, in locum ejus, quod debetur & solvendum est: sive loco veræ solutionis, quid dare. Germ. an statt der Zahlung geben/annehmen. Cujus negotii, nostro tempore (bey diesen Geldstemmen Zeiten/da die Debitores keine paare Mittel haben noch erlangen können/ uti Legislator noster Rom. Germanicus conqueritur in d. Recept. noviss. de an. 1654. d. §.) propter superiorum annorum calamitatum bellicarum reliquias in

B

Im-

Pro soluto  
datum.



imperio notissimi, (si enim, uti verba sunt Dn. Mayij in d. disc. lev. inop. deb. d. cap. 7. n. 16. inter debitores atque creditores hodie res bene componenda sunt, sapienter eò contendendum, ut hi ab illis in solutum accipiant, quæ habent: & si id in nominibus consistat, recipere ea non indignentur) syntheticam, post hanc, transactionem instituturi, hac vice non nisi ea, quæ ad textus resolutionem commodiorem spectant, adducemus. Sufficiat jam aliqualem negotii hujus descriptionem præmisisse: Scil. In solutum datio nihil est aliud, quam modus obligationem volente creditore tollendi per ejus, quod non debetur, pro debito præstationem, animo liberandi factam. Id ipsum a. ut ut principaliter in finem liberationis fiat; semper tamen simul alio negotio adhuc prægnans est: & quidem interdum emtionis venditionis; interdum permutationis. Quæ duo, ut ut magnam inter se habeant affinitatem, §. 2. I. de E V. diversa tamen sunt, l. 1. ff. de rer. perm. & exinde fit, ut præstatio illa seu translatio pro varietate contractuum, quorum naturam pro objecti, quod solvendum erat, conditione diversa, induit, vel sola traditione, animo tamen dandi conjuncta, contenta sit. h. l. 4. & l. 24. pr. de pign. act. vel dationem requirat, i. e. domini translationem, per l. 46. pr. & §. 1. de solut. ibi: tunc ergo res pro re soluta liberationem præstat, quum pro solido facta est suscipientis. Quos textus ita conciliat Hillig. D. E. lib. 16. c. 9. lit. H. A qua ultima specie propter effectum nobiliore negotium quoque nomen accepit. uti hæc latius infra proponentur. Addendum adhuc explicationi hujus vocis, quod vi istius negotium hoc validam præsupponat obligationem, vinculum scil. quod solvi aut rumpi debeat. Aliàs enim & in solutum datum ex errore facti non minus, quam solutum ipsum, indebiti, conditione repeti potest, per textum in hac materia singularem & valde notabilem, l. 24. §. 4. & ff. de cond. ind. nisi ex transactione, qua lis sopita, in solutum quid fuerit datum. l. 65. §. 1. de cond. ind. Surd. consil. 217. n. 16. Farin. lib. 2. decis. cr. 286. n. 1. Intelligimus a. obligationem in speciali & proprio significato acceptam, ex jure scil. ad rem descendente vid. Dn. Robhan. in hodeg pag. 428. Uti enim solutio est liberatio ab obligatione in actione personali, l. 176. de V. S. Schard. in lex. h. voc. ita & in solutum datio: quæ ficta est solutio & quodammodo imaginaria. Franzk. in comment. ad pr. 1. quib. mod. toll. obl. n. 11. & seq. Ergò quando possessor rei meæ pro ea, mihi non solvenda, sed restituenda Schard. d. l. aliud quid dat ex causa emtionis vel permutationis subsequuta, quin illud ipsum negotium non sit datio in solutum, sed



sed vera, propria & indubitata emtio vel permutatio, non potest esse incognitum. vid. §. interdum 44. l. de R. Div. Rittersh. in comment. ad d. §.

## XIV.

Verba, quæ sequuntur: *est, quod*, quia à Gothofredo virgulis inclusa, indicio est, ea in nonnullis exemplaribus abesse. Absunt autem salvo manente sensu, & forsitan cum latini sermonis majori venustate. *Con- tius in not. ad b. l. lit. f.*

## XV.

Subjungit his: *aliis creditoribus*. Creditorum voce in latissimo significato sumptâ, quosvis hîc intelligere licet, quibus consulentis Georgii vel debitor vel illi, quibus is successit, ex quacunque obligationis, sive propriæ, sive alienæ, l. 5. §. f. de pignor. causa (sine respectu, ex facto licito an illicito ea descenderit: cum & hæc creditorum reddat eum, cui ex delicto acquisita est, l. 11. & seq. de V. S. perfectè tamen, Wegner. in comment. de V. S. ad dd. ll. vid. Dn. Rebhan. in hodeg. p. 448. & Dn. Hahn. ad W. de R. C. n. 2.) prædium quæstionis pignori seu hypothecæ prius suppo- fuerunt. In omni enim causa, ubi iudicio ad solvendum quid cogi potest alter, ibi ei, cui jus exigendi quæsitum est, pignus in securitatem rectè constituitur, l. 9. §. 1. de pign. act. d. l. 5. pr. de pign.

## XVI.

*Fuerat obligatum*. Nexu intellige pignoris: quod sequentia indicant. Phrasi *Jctis familiari*: quâ circa idem subjectum utitur *Scævola* in l. 38. pr. de legat. 3. & *Impp. in l. 6. C. de fideic. l. 19. C. h. t. de evict. l. 1. C. cred. evict. pign. non deb. l. 15. C. de donat. circa generalius, res nim. bona, possessiones, alii Jcti in aliis textibus. Cui tamen voci explicatius plerun- que addunt vocabulum pignori, vel pignoris jure: quod præter l. 26. §. 2. de fideic. libert. l. 5. C. de serv. pign. dat. l. ult. §. 1. de donat. l. 12. de alim. & cib. leg. ex variis insuper textibus ostendit *Brissou. de V. S. lib. 13. hac voce*. Quæ ipsa eleganter naturam pignoris, quâ jus in re est, exprimit. Quod enim juris ad rem proprium est, ut non ipsam rem, sed personam ex lege vel facto aliquo, ad producendam obligationem efficaci, obstric- tam afficiat, & ad ejus præstationem obliget, §. 1. I. de oblig. l. 3. pr. de O. & A. l. 20. C. de pact. id è converso cernitur in jure in re, quod qualitas est ipsam rem afficiens, eamque principaliter ei, qui illud legitimo modo acquisivit, tamdiu obligans, quamdiu hoc vinculo similibus, à jure*



scil. introductis, modis non fuerit soluta: vel ut loquitur *d. l. 5. C. de evict. liberata*. Quod jus persequentes propterea in rem agere dicimur §. 1. *de act. §. 2. I. de off. jud. l. 5. §. 15. de reb. eor. qui sub tut.* etiamsi cum possidentis persona lis nobis sit. Pignus tamen longè debilius rem obligat, quam ipsum dominium; cum illud non nisi in rei eidem subjctæ accidens sit comparatum; hoc verò in ejus seu corporis ipsius (naturalis) substantiam: uti eleganter de hac differentia *Dn. Hahn. ad Wesenb. de acq. rer. dom. num. 3. in med.*

XVII.

Causa pignoris.

Addit porrò: *Causa pignoris*. Intelligit, per causam, qualitatem illam & conditionem pignoratitiam, de qua modo dictum: ut ita inter varias hujus vocabuli acceptiones, de quibus *Briffon. de V. S. lib. 3. hac voc.* accipiatur formaliter, pro onere & jure ipso rei alicui incumbente: cum quo res affecta, quamdiu talis est, semper transferri dicitur, *l. 67. de contrah. emt. l. 12. C. de distr. pign. l. un. C. rem alien. gerent.* Et si verò, propriè loquendo, *pignus* capitur pro re obligata creditori tradita; secus ac hypotheca, §. 7. *I. de action. l. 9. §. 2. de pignor. act. Neguzant. de pignor. p. m. 8. n. 4.* in hac tamen lege impropriè pro jure in re pignori saltem obligata, nec tradita, accipi, natura actionis realis seu evictionis, qua creditores alii à Georgio possidente prædium obligatum repetere queunt, facillè ostendit. *vid. Dn. Rebhan. in hodeg p. 463. ubi plura acceptionis similis loca adducit.*

XVIII.

Mutata non est.

Dum autem dicit: *Mutata non est*, innuere vult, accidentalem illam prædii obligati qualitatem, per istam in solutum dationem, non esse sublatam: nec propterea ad pristinam, id est, liberam solutamque rediisse naturam. Mutando enim si non novam rei inducimus formam, pristinam reducimus.

XIX.

Igitur.

Particula subsequens illativa: *Igitur*, & juris aliquod principium præcessisse, & conclusionem nunc subsequi, indicio est. Is enim principiorum cujusque artis usus est, ut ad principiata, sub generalitate eorum latentia, intrepidè & positivè & remotivè inferre liceat, eaque ut loquitur *Paulus IC. in l. 14. ff. de LL.* producere ad consequentias. Cui sanè labori nec Jcti in suis responsis, nec Imperatores in rescriptis pepercere. Quod

ex



ex variis inferendi formulis: *Si igitur. consequenter. itaque cui consequens est. quare. proinde.* undiq; & undiq; in jurisprudentia Justiniana occurrentibus, ad oculum patet. Nam & hæc suis principiis, tanquã fundamentis, innitur: quæ qui bene callet, næ ille perfecti Jcti nomen sibi polliceri, & consulentibus responsa promptè promere poterit! Ponamus unicum *ex pr. Inst. quib. mod. re contrah. obl* principium, nempe: *Mutuum re contrahitur.* Quot dubitantibus quæstiones, circa hoc enascentes, is qui vim ejus intelligit, resolvere poterit? Sane exinde colliget *cum Paulo IC. in l. 2 §. 3. de R. C.* Ergò mutuum non est, nisi proficiscatur, i. e. actualiter numeretur pecunia. Ergo, qui spondit creditori futuro se restitutum, ex mutuo non obligatur, *l. 30. ff. eod.* Ergo nuda pactione, vel stipulatione, de mutuo dando & accipiendo, mutuum non contrahitur, *arg. l. 3. C. de rer. perm. cum Proculo & Vlp. in l. 11. §. 1. de R. C.* Ergo si decem mutuo data, ut undecim debeantur, non nisi decem condici possunt. *cum. eod. Vlp. in l. 9. §. 4. de R. C.* Ergo numeratione contrahitur obligatio, & acquiritur numeranti, etsi creditor alii pecuniam restitui stipulatus est. Similiter *cum eod. in d. l. 9. §. 5.* Ergo si pupillo, tutoris autoritate, numeravi mutuum, & tutore non præsentate, à pupillo reddi stipulatus sum, condictio nihilominus adversus pupillum manet. *& in §. 6.* Ergo si numeratum mutuum sub impossibili conditione reddi stipulor, condictio itidem datur ex mutuo. *Sic in d. l. §. 7. E.* si numeravi ei mutuum cui postea bonis interdictum est, & in hoc statu ab eo reddi stipulor, ex contractu mutui eum nihilominus convenire possum. Ita etiam *cum Impp. in l. 5. C. si cert. pet.* Ergò si, pecuniã mutuo acceptã, oleum susceptum instrumento est collatum, pecunia, non oleum debetur. Possent infiniti casus, à Jctis consultis, ex hoc solo principio decisi, in medium adferri; sed sufficiat, vel paucis hisce, in præsentiarum ostendisse, quantus sit in nostra jurisprudentia principiorum usus. Quod notavit etiam, quanquam strictim saltem, *Dn. Tabor in racem. 18. in indic. LL. ff. de furt. ad l. 43. §. 2. in fin. eod.*

XX.

Verbis igitur illis subsequq. *Si hoc fuerit evictum.* Implicitè ex præmissis principio, nempe: res pignori obligata, sine creditoris consensu, in alium per in solutum dationem translata, causam pignoris non mutat. Sequentem subjungit propositionem: Ergo à creditore jure poterit evinci. Evincere est judiciali victoriã, tum jus in re, tum v. vel maximè rem

Si hoc fuerit evictum.

B 3

ab



ab alio possessam, nullo causæ possessionis, modò eam ex causa domini translativa ab authore acceperit, habitò discrimine (uti id contra seu perperam, seu strictè nimis in hac materia loquentes, cum Bachov. in not. ad Wes. de evict. n. 1. rectissimè defendit Dn. Hahn. ad eund. d. l. quibus tamen discrimen illud, in obligatione de evictionis præstatione, non denegamus, l. 18 §. f. de donat. & t. t. de evict. per ea, quæ tradunt Dd. quando de subiecto evictionis & causis, quibus præstatio illa inhæret, agunt. vid. Dn. Franzk. comment. ff. de evict. n. 187.) propter jus melius, evincenti in illa competens, actione reali extorquere & actualiter auferre, scil. non per sententiam tantum, sed cum effectu, & sententiæ executione, l. 16. §. 1. l. 57. pr. & §. 1. ff. l. 3. C. de evict. Nic. Burgund. tr. de evict. c. 1. tribuente voci isti hunc significatum pinguissimum augmentativâ particula E. Dn. Franzk. d. l. n. 2. Ut ut verò res aliqua possessa naturaliter pro evicta habeatur, quomodocunque ea, modò judiciò, ablata fuerit; ad effectum tamen obligationis producendæ requiritur, ex parte evincentis, ut propter ejus jus melius per judicem fuerit ablata; ex parte verò victi, ut in processu evictorio observanda observaverit. Quantum enim ad hoc, evictio non facta, & facta illegitimè, judicantur ad paria, juxta juris vulgaria. Barb. voc. factum. 4x. 22.

## XXI.

Jure.

Quia igitur Imp. jam ad novæ quæstionis, de obligatione præstationis evictionis, rei hujus obligatæ in solutum datæ, decisionem se accingit: idcirco notanter præmittit: Si hoc *Jure* fuerit evictum: respiciens scil. ad requisita obligationis, concernentia tum justitiam causæ victoriæ, jus nempe melius, pignoris scil. in hac facti specie (in genere enim ob quodcunque jus in re, sive domini, l. 34. §. f. de evict. sive ususfructus, l. 39. §. f. l. 49. d. t. Dn. Franzk. d. l. n. 86. & seqq. aut aliarum servitutum tam personalium, l. 38. §. 13. de V. O. quam realium, l. pen. l. 48. ff. eod. id. d. l. n. 86. & seqq. Dn. Hahn. ad W. d. t. n. 1. evictio contingit) adeoque imprudentiam, stultitiam, errorem, sordes judicis cum Vlp. in l. 51. pr. ff. de evict. rejicit; Tum verò ad juris ordinem: intelligo denunciationis solennitatem, ne scil. eâ, à consulente, qui in solutum hinc acceperat, neglectâ, res accepta fuerit evicta, ut ut meliori jure evictio non contingerit. Juri n. Justiniano eorum sententiam, qui denunciatione, in casu etiam evidentis justitiæ evincentis, omisâ, nullum possessori victo adversus authorem de evictione regressum dari autumant, convenientiorem arbitramur: tum per

ra-



rationes ex B. Chov. ad Wes. d. t. n. 5. à Dn. Habn. d. l. adductas; tum v. vel maximè, quia etiam præfenti, l. 55. §. 1. eod. & scienti, l. 8. l. 20. C. eod. denunciatio facienda est. Quam sententiam etiam Dn. Franzk. d. l. n. 666. & seqq. & Nic. Burgund. d. tr. de evict. c. 55. agnoscunt; ita tamen, ut contrariam & æquiorè & communem afferant atque rationibus etiam ex Jure Civ. petitis defendant.

## XXII.

His addit Imp. *Utilis tibi actio contra debitorem competit.* *Utilis tibi actio contra debitorem competit.* Varia technologi illius termini, *utilis actionis*, illimitatè hîc positi, significatio discussionem aliquam, ad textus nostri intellectum, omnino desiderat. Constat, quod is sumatur vel effectutenus, pro actione efficaci & cum partu exactionis prægnante; adeoque oppositivè ad actionem inanem. quam oppositionem in terminis instituit Paulus in l. 24 §. 2. de liber. caus. In quo significatu etiam in quamplurimis juris textibus deprehenditur. vid. §. 1. de vi bon. rapt. l. 37 mand. l. ult. de estim. act. l. 51. §. 3. de evict. Vel efficienter & oppositivè ad directam actionem, quatenus nim. Vel legis, actionem aliquam, sed ex certo determinatoque jure, vel de certo subjecto aut objecto, introducens, verbis, propter juris, ex quo descendit, vel subjecti, aut objecti diversitatem, non convenit: adeoque ex illis directo agendi facultas nulla conceditur; mentamen legis propter similitudinem juris, vel negotii, vel reliquarum rerum, inclusa est, & propterea institui potest. Exempla sunt obvia in l. pen. si quadr. paup. fec. dic. l. ult. C. de L. Aquil. l. 17. C. de N. G. Vel quatenec menti etiam inclusa est, sed strictæ juris rationi repugnat; attamen utilitatis & æqui bonique ratione introducta ad similitudinem directæ, l. 22. pr. de aq. & aq. pluv. l. 21. de præsc. verb. Cujus generis actiones plerunq; demonstrantur his verbis: *quasi ad exemplum. exemplo. veluti. ad similitudinem. accommodare.* d. l. 22. Brisson. de V. S. lib. 19. hac voce. Vid. Dn. Rehb. in hodeg. p. 639. & seq. Quæ duæ actionum species, ut ut causa efficiente differunt; in effectu tamen planè conveniunt, ejusdemque potestatis sunt; docente Paulo IC. in l. 47. §. 1. de N. G. Etsi verò prima significatio ab hoc loco non abhorreat, quod remedium, consulenti Georgio de evictione competens, non sit inane futurum; Imp. tamen ad alteram hoc verbo respexit: quòd ratio ab eo subjecta, dum negotium hoc, inter Georgium & ejus debitorem gestum, venditionis vicem obtinere dicitur.



cit, (vinducanda in seqq. ab aliorum insultibus) clarè ostendit: adeoque utilem ex emto (quam Glossa secundariam, natam ex evictionis casu, appellat) actionem hoc nomine competere statuit. Cujus sententia infra pluribus evincetur.

## XXIII.

Nam hujusmodi contractus.

Ratio v. illa continetur in seqq. *Nam hujusmodi contractus.* Quasi dicere velit: Id negotium, quod inter utrumque intercessit, etsi animo obligationem, quæ inter ipsos erat, dissolvendi fuerit initum: adeoque hoc respectu contractus nomine venire nequeat; cum contractus sit conventio ad constituendam, non dissolvendam obligationem propriâ suâ vi efficacem. *Dn. Ludw. disp. Inst. 11. th. 2. nec actus agentium, ultra intentionem eorum, operari, per l. 3. l. 19. si cert. pet. sed ex ea judicari debeant, Sichard. ad l. 1. C. de O. & A. num. 7. ex tacita tamen partium mente, arg. §. pen. 1. de obl. qua quasi ex contr. quin imo verò expressâ, ipso facto declaratâ, in unico hoc actu dationis pro soluto simul etiam obligatorium contrahitur negotium, Gutierrez. tr. de gabell. q. 3. n. 45. sive exemplo novationis, §. 3. 1. quib. mod. toll. obl. sive quod, ut loquitur Hillig. D. E. lib. 16. c. 9. lit. I. celeritate actuum conjungendorum unus & alter occultatur, & in termortuus censetur, ex l. 3. §. f. de donat. int. vir. & ux. fac. l. 15. de R. C. ac fictione brevis manus, l. 43. §. 1. de jur. dot. pecunia debita, à debitore creditori soluta, & ab hoc iterum illi pro re in solutum accepta, tanquam precium, data, arg. dd ll. Ex hoc ergo colligimus, ad hoc negotium consensum utrinque requiri. Quæ observatio ad quid utilis sit, tradit Gutierrez. d. tr. de Gabell. q. 23. n. 38.*

## XXIV.

Vicem obtinet.

Verbis: *Vicem obtinet.* claudit tandem Imp. contractui huic nomen suum assignaturus. Cum autem phrasis: *vicem obtinere* alicujus, manifestò subjecti sapiat diversitatem, & nihil aliud denotet, quam in loco alicujus esse; quis non animadvertit illicò ex his verbis, negotium hoc, inter Georgium & ejus debitorem celebratum, strictè loquendo, & quoad verba, non esse venditionem; sed ab ea quid diversum: ut ut cum ea, quatenus traditione impleta, censeatur ac judicetur ad paria? Quod ipsum tamen quoad rem ipsam negamus. Cum enim omnia venditionis essentialia in eo occurrant, non diversitas inter hæc duo negocia erit, sed identitas: & propterea significatus hujus phrasis: *vicem obtinere*, longe pinguior



guior in hoc textu, quàm in l. 2. C. de rer. permut. Ut proinde Rosenthalij tr. de feud. c. 4. membr. 1. conclus. 35. n. 1. lit. a. sententiam, quàm in solutum dationem in nullo, quam vocis sono, ab emtione distare; nec non Guttierrezij d. tr. de gabell. q. 3. n. 46. quàm non tam similem venditioni quàm veram & propriam venditionem; & Dn. Frantzky comment. de evict. n. 334. & seq. quàm formalem veram & efficacem venditionem esse asserunt, à juris nostri veritate non abesse, meritò in antecessum hinc concludamus.

## XXV.

Necessariò autem addendum voci *venditionis*, quod, cum contractuum differentia & convenientia ab objecto & forma potissimum dependeat, adeoque eorundem substantialibus, uti loquuntur J Cti; & verò venditionem tria hæc constituent; consensus, res & precium, & hoc quidem in pecunia numerata, juxta §. 2. I. de emt. vend. l. 1. §. 1. ff. eod. l. 9. C. de resc. vend. quod, inquam, in solutum datio tum demum vicem venditionis obtineat, cum hæc tria in ea occurrunt, potissimum verò objecti substantialia, nempe res & pecunia, ut nim. pro pecunia debita species detur in solutum: vel etiam secundum Ferd. Ar. de Mesa V. R. lib. 1. c. 40. n. 11. pecunia pro specie; etsi Guttierrez d. tr. de gabell. q. 23. n. 33. secus statuere velit; non verò vel pro genere alio genus aliud, vel pro specie species, vel pro specie genus, quod non est pecunia numerata, vel contra: cum permutationis instar hæc negocia habeant. Quos casus accuratè distinguit *Surd. consil. 145. n. 34.* idemq; fecerunt alii, qui simili studio hanc tetigerunt materiam. *Caldas in typ. instr. emt. v. c. 2. n. 4. Cornel. consil. 92. Natta tom. 4. consil. 650. n. 3. Asin. tr. de execut. §. 4. c. 7. Steph. Grat. discept. forens. 544. tom. 3. n. 15. Vincent. Cabot. disp. lib. 2. c. 27.* & cæteri plerique: ipsa etiam glossa. Quæ differentia, propter diversos effectus, probè in tota hac materia notanda. Et sub limitatione hac semper accipiendum illud vulgatum juris: *Datio in solutum vicem emtionis obtinet.* ne diversarum causarum negotia cum summo partium damno (quod alibi ostendetur commodius) confundantur. Et hæc de verbis hujus legis separatim.

## XXVI.

Singula ergo seorsim explicata nunc jungamus in evidentem aliquam *Facti speciem*. Si Gasp. Ant. Thesauro *quest. forens. lib. 2. quest. 88. n. 4. & seqq.* assurgendum esset, dicendum foret; Georgium consulentem, qui rem aliis creditoribus obligatam in solutum acceperat, de pignore, in

Quam  
(vid. supra  
th. 10.)  
Majoribus,  
qua  
ex parte  
Consulentis  
continent  
Facti spe-  
ciem.  
I.

C

alia



alia re sibi constituto, sollicitum fuisse: an id propterea extinctum esset cum cæteris primævis juribus. Verum quam inconvenienter id fieret, textus ipse & collectio Imperatoris ostendit, monente *Ferd. Ar. de Mesa d. V. R. lib. 1. c. 41. n. 5.* Quid ergò? Annon forsitan talis casus tentari posset, ut diceremus occasione legis *9. C. de resc. vend.* debitorem in solutum dantem, ex emtione ad certam summam Georgio obligatum fuisse, factamq; dationem in solutum, hoc in casu, venditionis ab initio celebratæ vicem obtinere, utilemque exinde actionem propterea dari: quemadmodum si pro pecunia mutuo petita argentum, jumentum vel alia species, utriusque consensu æstimata, datur, mutuum id nihilominus est, *l. 8. C. si cert. pet. Ioan. Cephal. lib. 3. c. 351. n. 17.* aut quando in locatione, loco mercedis constitutæ, certum olei pondus dari placet, *l. 21. C. de locat.* Ast cum Doctoribus nunquam (quod ego quidem scio) placuerit hæc casus formatio, merito ab ea, propter alias etiam rationes, abstinemus. Glossa cum textu in simplici & generali casus formatione manet, quòd sc. Consulenti res oppignorata in solutum data fuerit. At *Vincentius Cabotius s. d. l. in pr.* fingit debitorem hinc duos habuisse creditores hypothecarios quibus prædium, fuerit diversis temporibus obligatum, sed id posteriori dedisse in solutum. Quæ sane casus formatio majorem, in quæstione antecedanea, dubitandi suggerit rationem, & propterea, etiamsi restringit textum generaliter & sine mentione, an posterior creditor, nempe Georgius consulens chirographarius; an hypothecarius fuerit, loquentem, majori cum fructu fieri potest: maximè quia etiam fundata est *in l. 1. C. si antiq. cred.* Itaque à glossa, hinc secessum facimus, & sequentem formamus *Casum*: Georgius quendam Sempronium debitorem habebat mille aureorum, ex causa vel mutui, vel dotis, vel venditionis, aut alia quacunque, ad producendam obligationem pecuniariam efficaci: in cuius crediti securitatem ipsi prædium quoddam Sempronii erat obligatum. Hic Sempronius, cum à creditore urgeretur ad solutionem, nec tamen ad manus ei esset pecunia numerata, cum eo convenit, ut solutionis loco prædium illud acciperet. Cui consentienti pro soluto etiam dedit: ut sic obligatio illa fuerit dissoluta. At cum postea appareret, prædium istud aliis etiam creditoribus anterioribus hypothecæ esse suppositum, audiretque Georgius, sibi hypothecariæ actionis negotium imminere, de jure suo dubitans, ne faceret inutiles litis expensas, precibus suis adiit Imperatorem Antoninum, & narrata facti specie de duobus informari cupiit, nempe:



1. *An creditores illi anteriores prædium istud obligatum, in solutum ab ipso acceptum, jure pignoris evincere possint?* Et

2. *Si evicerint, quale ipsi Consulenti remedium aduersus debitorem, qui rem obligatam in solutum dederat, ad suum consequendum, competiturum sit?*

## XXVII.

Ad quarum decisionem antequam perveniamus, non abs re erit, ex jure prius perpendere: *An Georgius prædium questionis sibi oppignoratam in solutum accipere potuerit?* Sane enim, ex quo per æquissimam Constantini constitutionem, quæ habetur in l. ult. C. de pact. pign. Commissoria legis appositio in pignoribus, sub pœna amissionis rei oppignorate ex pacto in solutum acceptæ, prohibita est, ejusmodi pro soluto datio, cum, sine tali usuraria conventionem prævia, vix fieri queat, in legem hanc, ejusmodi usurariam pravitatem coërcentem, incidere videtur. Sive enim ab initio ita convenit, inter debitorem & creditorem, ut, pecuniâ debita intra diem non solutâ, pignus pro eadem in solutum cedat creditori: nulla erit pactio, d. l. ult. c. significante. X. de pignor. & Dd. commun. in specie autem. Fr. Card. Mant. tom. 1. de tacit. & ambig. convent. lib. 11. tit. 10. p. 577. n. 9. & seqq. ubi latè hanc sententiam contra aliorum impetitiones defendit; sive etiam ex intervallo tale pactum fiat, & itidem improbatum esse videtur textus d. l. f. generalitate, quæ omnem commissoria legis memoriam abolitam vult in pignoribus: quemadmodum hoc ita defendit Perez. ad Cod. d. l. f. n. ult. Oldend. cl. 3. act. 17. p. m. 433. Dn Franzk comm. ff. de pignor. n. 52. Ex quo dubio vix nos extricaremus, si assentiendum esset Perezio & aliis hujus sententiæ asseclis. Verum nos, uti prioris veritatem agnoscimus, propter rationem, ne inopia afflictus debitor necessitate premente ad iniquam ejusmodi conventionem urgeatur, Dn Hahn. ad Wesenb. de pignor. in fin. ita à posteriori recedimus cum Sichard. ad l. 3. C. de pign. act. in fin. Fr. Card. Mant. d. l. n. 3. non tam, quod pignus admittat in casum, si ad certum diem creditori non fuerit satis-

Quæstiones  
propositas.

Ex parte v.  
Rescriben-  
tis  
propositiones  
tum

Principales  
duas, quarum

Prior  
directa ad  
questionem  
Antecedentem.

Quæ propositio.

Illustratur  
Quæstione  
aliqua  
præjudicialis



factum, pactum venditionis, tum pro justo precio, l. 34. de pign. act. l. 16. §. f. de pignor. tum etiam simplex: quia tunc justum precium subintelligitur, Steph. Gratian. tom. 3. disc. forens. 544. n. 8. 9. quàm quod ratio prohibitionis, generalitatem restringens, in illo casu, à tali necessitate omnino vacuo, cessat, docente Sichard. & Mantio. dd. ll. debitorique liberum est, vel vendere pignus tertio cuidam, & ex precio creditori satisfacere; vel distractionem ejusdem creditori connivere, & superfluum precii ab eo repetere; vel pati, ut dominium à Principe impetret, tt. C. de jur. dom. imp. vel ipsi creditori donationis causa in totum cedere aut in solutum, etiam pro summa debiti exigua, per l. 21. C. mand. nullâ cessionario metuenda vel nullitate, vel negotii rescissione; modo extra causam donationis læsio non ultra dimidium facta, contra l. 2. C. de resc. vend. secundû receptiores Dd. traditiones, de quibus testatur Arius Pinell. in comm. ad d. l. 2 part. 1. c. 4. p. 230. n. 8. Cæterum fieri etiam potest, ut pignus, nullo prævio pacto & termini prorogatione dationis in solutû suspensiva, sed de præsentî & purè, in solutum detur; & tunc legis commissoriæ, casum futurum, nempe si ad diem pecunia soluta non fuerit, Dn. Hahn. ad Wes. d. l. de pign. n. f. respicientis, dispositio sine dubio cessat, fatente ipso Dn. Franzk. d. l. n. 52. qualis casus in præsentè l. 4. obvius est.

XXVIII.

Proponitur

eam absolutè,

quam qualificatè,

ut Oppugnata Ratione dubitandi.

I. (Ad quam mox Respondetur.)

Dum ergo de ipsius negotii inter Georgium & debitorem ejus gesti validitate ex l. f. C. de pact. pign. nulla lis superest, ipsa quæstionum propositarum decisio jam inspicienda venit. In qua inspectione occurrunt in thesi notandæ propositiones tum principales tum minus principales. Illæ quidem decisivè directæ ad quæstionem, tum antecedaneam, tum consecutivam. Ad *Antecedaneam* hæc, quæ sequitur. *Prior creditor potest rem sibi obligatâ à posteriore hypothecario, cui in solutum à debitore data fuit, evincere.* Quæ propositio solidâ *Dubitandi Ratione* haud caret: maximè 1. Si de stricta juris Civilis ratione loquimur. Juris enim certissimi est, quod obligationes non res afficiant, sed personas, l. 3. pr. ff. de O. & A. & ad juris in re translationem traditio vel quasi, si non de jure naturali, Grot. de l. B. & P. lib. 2. c. 6. n. 1. civili tamen (quod quia à multis gentibus receptum est, improprie gentium jus vocari statuit Idem d. l.) sit necessaria, per l. 20. C. de pact. quæ in præsentî casu priori creditori non fuit facta. Quamquam verò hæc ratio tanti non sit, postquam progressu temporis ab hac





hac juris Civilis regula, suo primordii tempore in Imperio Rom. valida, Prætores & Jcti, utilitatis ratione moti, in pignore recesserunt, & omnem animi, quacunq; ratione factam, declarationem ad juris hujus alienationem pro sufficiente agnoverunt, *tex. in l. 1. pr. ff. de pign. act. l. 4. de pign. nulla quamvis facta traditione Dn. Franzk. comm. ff. de pign. n. 40. & 41.* Subest tamen 2. alia, extricatu non ita facilis, petita *ex l. quotiens. 15. C. de de R. V.* quæ in casu, quo duobus successivè una & eadem res vendita, si posteriori prius tradita, huic omne jus in re ex traditione acquiri contendit contra priorem. Quod ipsum etiam ex Juliano statuit *Vlpianus in l. 9. §. 4. de public. in rem act.* & adeò certum hoc esse tradit *Cujac. lib. 18. O. 31. in pr.* ut non debuerit de eodem in *d. l. quotiens*, ita ut scripta est, sollicitius scribi. Ergo si adhuc tantus, in causa pari, traditionis effectus est, ut temporis prioritate munita jus omne alterius, ex conventionem dependens, absorbeat; videtur propositio nostra vel veritati contraria, vel certè juris analogiæ minus convenire. Quibus accedit 3. quod par utriusq; creditoris, tam anterioris, quam posterioris, causa sit. Equidem hîc & actori actio & reo sua exceptio ex pignoris jure tantum nascitur. Textus quoad actionem est *in §. 7. junct. §. 3. l. de action. quoad exceptionem in l. 10. de pign.* ubi hæc exceptionis hypothecariæ formula, olim, cum judicia omnia adhuc essent ordinaria, usitata traditur: *si non convenit ut eadem res mihi quoque sit obligata.* Jam verò ubi par utriusque litigantium causa est, possessoris conditio melior judicatur, *l. 4. §. 13. de dol. mal. exc. l. 3. l. 4. pr. & §. 1. de condict. ob turp. caus. c. in pari. de R. I. in 6. Barb. locupl. voc. possessio. ax. 34.* Cujus ratio, quod in realibus judiciis de regula possessor reus est: cujus partes in fine judicii meliores, quam actoris esse, novimus *ex l. 125. de R. I. Dn. Carpzov. Pr. Crim. p. 3. quest. 105. n. 32.* Ex quibus sanè concludendum videtur, pignoris causam priori hypothecario, si non ipso jure, ope tamen exceptionis, mutatam esse, adeoque ejusdem vindicationem inanem eidem futuram.

## XXIX.

Verùm his non obstantibus manet nihilominus verum supra positum Imperatoris assertum, priori creditori hypothecario contra posteriorem possidentem hypothecariam dari, etiam cum effectu exactionis. Id quod attribuendum naturæ pignoris, quâ jus in re est: quod propter hanc qualitatem, ut supra Th. 16. demonstratum, ita fixè subjecto suo conjungitur, ut quamdiu illud in rerum natura existit, tamdiu hac qualitate affectum

et ut  
Defensa  
tum  
Admoven-  
do  
Rationem  
decidendi,  
qua  
Proponitur

C 3.

tum



Etum maneat, l. 8. quib. mod. pign. vel hyp. solv. l. 25. C. de pign. nisi vel ipsa principalis obligatio, cujus in securitatem accessit, sublata sit, ut C. de luit. pign. l. 6. per tot. quib. mod. pign. vel hyp. solv. l. 20. C. de pignor. vel jus illud in re, principali obligatione adhuc licet existente, creditor, cujus voluntate acquisitum est, suo facto & voluntate, sive expressa sive tacita, & à lege præsumta, à se dimiserit, per text. gener. in l. 11. ff. de R. I. c. sine culpa. de R. I. in 6. Ex quo fit, ut nulla rei ejusmodi affectæ translatio & alienatio in alium, creditori, pignus taliter à se non dimittenti, præjudicium adferat; sed res semper cum sua causa, quia mutata seu sublata non est, i. e. cum suo onere, conditione, qualitate transferatur, text. expr. in l. 12. C. de distr. pign. l. 18. §. 2. de pign. act. l. un. C. rem al. ger. Cumq; domini rei oppignoratæ, à debitore in alium alienatæ, acquisitio non absorbeat jus pignoris: stare enim utraque juxta se possunt, cum nihil inter se habeant commune, l. 44. §. 5. de usuc. l. 10. C. de pignor. act. l. 7. C. de pignor. quomodo hic effectus tribui poterit pignori posteriori, quod domini jure longè debilius est? Et hoc ipsum toto jure Civili ita se habere tradit Pomponius, in l. 67. de contrah. emt. & certissimum esse dicitur in l. 15. C. de pignor. ac in pignore ita placere, licet posteriori creditori hypothecario res tradatur, confirmat Martialis in l. 12. §. f. qui pot. in pign. Manet ergo, quod res, pluribus creditoribus diverso tempore oppignorata, si posteriori in solutum datur, qualitatem suam retineat; & quod per consequens prior, si personali actione suam consequi nequit, Nov. 4. c. 2. aut principali etiam non excusso, si specialis est hypotheca, per Nov. 112. c. 1. §. 3. (quem text. cum d. Nov. 4. ita conciliant Dn. Carpz. I. F. p. 2. c. 18. d. 18. n. 5. & seqq. Hahn. ad W. de distract. pign. n. 1. ubi latè in hanc rem & præjudicia adfert) hypothecaria actione eand. à posteriore persequi possit, atque ita evincere.

XXX.

Declaratur  
propositionis

1.

Ampliatione.

Et hoc in tantum verum est, ut creditor talis antiquior, actione hypothecaria rem oppignoratam, in solutum posteriori datam, evincens, ex natura evictionis, quæ ex causa pignoris cum prælationis jure conjuncti instituitur, non habeat necesse posteriori possessori creditum suum offerre; cum aliàs vel planè non, vel parum certè utilis ipsi futura esset actio: quam in rem eleganter facit textus in l. 2. C. de furt.

XXXI.

Inversione.

2.

Uti autem priori creditori pignoris causa, ob supradictam rationem, non mutatur per dationem in solutum posteriori factam; ita nec in casu con-

con-



converso, posteriori hypothecario, per similem alienationem in priorem factam, jus suum intervertitur, per l. 1. C. si antiq. cred. Cujus rei ratio illa est, quod, licet primum pignus cum sua qualitate rem totam afficiat, eamque quasi occupet, ut non videatur, exemplo domini, per l. 5. §. ult. ff. commod. Barb. loc. voc. dominium. ax. 4. pluribus in una & eadem re in solidum competere posse; eam tamen, quod & supra dictum, longè debiliore modo, quam dominium, afficit, & saltem quàm securitatem crediti præstat, occupat. Quæ quia in una re diversis concedi potest, ex quibus semper posterior, offerendo priori, jus pignoris sibi confirmandi facultatem habet, l. 5. C. qui pot. in pign. idè pignus quoque pluribus in una & eadem re in solidum potest constitui.

Sed hîc. Q. *Sive*

*pluribus oppignoratâ, in solutum priori datâ, posteriori quoque jus suum salvum manet, adeoq; hypothecariam ad versus priorem instituere potest, an & ipse non oblato eidem credito pignus suum consequatur?*

Offerendum hîc esse docet supra alleg. l. 1. C. si antiq. cred. Ratio differentie in eo esse videtur, quod, cum prior in rem crediderit, ejusmodi pignoratitia qualitate adhuc vacuam, majorem & absolutam securitatem respexerit: quæ securitas, uti in se considerata, sine ipsius facto, eidem per debitorem, cum posteriore paciscentem, auferri nequit; ita nec, quàm talis, eidem minui potest. At posterior creditor rem, quoad securitatem alii creditori jam affectam (sciverit an ignoraverit nihil interest, arg. l. 19. de R. I.) pignori accipiens, limitatam in ea consequitur securitatem, quæ non, nisi priori pignore per debiti solutionem aut aliter remoto, absoluta fieri potest. Unde uti sine oblatione venditionem pignoris, quæ fit à creditore priore, posterior impedire non potest, l. fin. C. antiq. cred. ita nec rem, à debitore eidem venditam, vel in solutum datam, sine oblatione, hypothecariâ actione auferre poterit, d. l. 1. C. eod. Movet tamen hîc elegantem dubitandi rationem *Glossa ad d. l. 1. lit. q.* quod debito & obligatione, per dationem in solutum speciei pro pecunia numerata, extinctâ (qui effectus infra de ea demonstrabitur) de oblatione nulla amplius quæstio institui queat: cum per talem dationem in solutum pignora quoque & omnia accessoria unâ extinguantur. *Ferd. Arias de Mesa var. resol. lib. 1. c. 42. n. 2.*

& translato per eam in creditorem dominio, non possit amplius pignus

in.



in retali, quia propria, subsistere, per l. 45. pr. de R. 1. Steph. Grat. tom. 1. disc. forens. cap. 3. n. 15. 16. adeoque videtur posteriorem posse rem in solutum datam, ex natura evictionis communi, sine oblatione, priori auferre: quasi hic accipiendo in solutum omnem pignoris causam etiam ultrò reliquerit, hæcque in totum evanuerit. Glossa quidem nodum hunc ita solvit, quod creditor, in solutum accipiens rem oppignoratam, non videatur recessisse ab obligatione prima, si revocabilis sit datio, per l. 46. pr. de solut. Sed ut ut id Glossæ concedamus de illa dationis in solutum specie, ubi res pro re, non pro pecunia datur: quæ permutationis, non venditionis, vicem obtinet, de quo casu Dd. d. l. 46. pr. accipiunt. Steph. Grat. d. disc. forens. 544. tom. 3. num. 15. tamen cum objecta l. i. generaliter, adeoque etiam pro pecuniario debito, dationem pignoris creditori priori in solutum à debitore factam à posteriore creditore hypothecario, oblato debito, (non precio) revocari posse statuat, cum tamen per illam (quam venditionem esse prædiximus) prior obligatio extinguatur, adhuc dubii circa dubium istud hæere cogimur. Respondendum ergò videtur, interesse, utrum res oppignorata, cæterum ab aliis creditoribus libera, in solutum cedatur à debitore, & tunc verum est, quod illius dominium transferatur, l. 12. pr. de distr. pign. & obligatio principalis cum accessoriis omnibus tollatur; quod si verò res illa aliis etiam, & posterioribus quidem est obligata, tunc magis pignoris sui servandi, quam dominii acquirendi causa prior in solutum accipit quoad posteriores illos, uti in simili casu loquitur Modestinus in l. 6. de distr. pign. Horum quippe posteriorum jus, priori hypothecario offerendi quæsitum, uti debitor dando in solutum auferre non potuit; cum ex juris dispositione ipsis semper salvum maneat, l. 1. C. qui pot. in pign. l. 11. §. f. ff. eod. ita vicissim hypothecario priori, accipienti in solutum, jura quoad hos posteriores prospexere, æquitatis ratione id suadente. Dico: quoad hos. Nam quoad alios manet dominus, si talis à dante in solutum debitore factus erat, adeoque possessionem ejus rei amittens à quocunque possessore vindicare potest, l. 9. C. de pignor. Vid. Ferd. Ar. de Mesa var. resol. lib. 1. c. 5. ubi in Consilio Neapol. de hoc etiam disputatum fuisse refert.

sum  
(vide supra  
th. 29.)

Removen-  
do.

partim  
Exceptio-  
nes  
varias.

## XXXII.

Quæ supra dicta fuerunt, vera sunt de propositione illa in thesi prolata. In hypothese enim propter circumstantias in facto concurrentes, quarum variaz esse possunt, officium suum perdit regula: quod omnium regu-  
la.



Ita: quod omnium regularum juris fatum esse ex *l. 1. ff. de R. I.* notum est. Prior enim creditor rem oppignoratam, in solutum posteriori itidem hypothecario datam, propter prioritatem non evincet ob allegationes & exceptiones quamplurimas, quæ hypothecariâ agenti priori ex parte posterioris, qui in solutum accepit, opponi possunt, vel actionem ejus perimendo, vel differendo. Illo quidem modo si obligatio principalis fuerit extincta per solutionem (veram an fictam nil interest: sola namque oblatio, realis tamen *Neguz. de pignor. p. 34. n. 1.* cum depositione legitimè factâ sufficit, *l. 11. §. 4. qui pot. in pign. l. 20. C. de pignor.*) *pr. l. quib. mod. toll. obl. tt. C. de luit. pignor. text. not. in l. 12. §. 1. quib. mod. pign. vel hyp solv.* Sive salva quidem ea manserit, sed pignus tamen iterum aut per pactum de non petendo invalidum redditum sit, *l. 5. pr. l. antep. ff. eod.* aut extinctum creditoris prioris voluntate ad extinguendum sufficiente, *tt. C. de remiss. pign. tt. ff. quib. mod. pign.* aut manserit quidem, at prioritas sublata & ordinis immutatio facta fuerit, vel per posterioris creditoris, qui in solutum accepit, privilegium, *vid. l. 5. cum seq. qui pot. in pign. l. 12. C. eod.* vel propter prioris consensum, mutæ successionis pacto declaratum, *l. 12. §. 4. qui pot. in pign. l. 12. pr. quib. mod. pign.* Qui casus à regula excepti posteriori creditori, qui in solutum accepit pignus, contra priorem ad duplicandum in processu proderunt, *l. 12. pr. qui pot. in pign. vid. Neguz. de pignor. p. 425. n. 2.* Differendo autem hypothecariæ actioni posterior se opponet exceptione excussionis, pacti de non petendo ad certum tempus, & aliis.

## XXXIII.

*Sed quomodo propositio hæc ab objectis dubitandi potioribus rationibus vindicanda erit?* <sup>partim</sup> *Paucis, ad 2. Dubitandi rationes posteriores.* <sup>2.</sup> dicendum, in ea committi elenchum tum parium, tum etiam plurium interrogationum. Etenim magna est diversitas inter traditionem ex titulo ad transferendum dominium habili rei liberæ, & illius, quæ aliis etiam est obligata. Illa equidem non potest non dominium omne & totum & liberum transferre in accipientem emtorem posteriorem: cum per ipsam emtionem priori jus in re nondum fuerat acquisitum, *per l. 3. pr. de O. & A. l. 20. C. de pact.* sed adquirendum adhuc, i. e. obligatio seu jus saltem personale ad rem per traditionem adhuc consequendam: quod in conflictu cum jure in re jam acquisito succumbere tenetur; hæc v. non nisi cum sua causa, ju-

D

re



re scil. rei jam inhaerente eandem transfert: per ea, quæ supra fuerunt deducta. Qui diversus effectus ex objecti diversitate omnino descendit. Deinde objectæ ll. loquuntur de evictione, quæ fit jure domini, adversus possessorem, id actori controversum reddentem; at nostra propositio de evictione, quam pignoris jus reale, per conventionem jam acquisitum, conciliat priori creditori: qui possessorem fatetur dominum, vel quasi per dationem in solutum à debitore factum; at sibi inique propterea pignoris persecutionem denegari. *Vid. Goth. add. l. 15. C. de R. V. lit. b.* In 3. dubitandi ratione luditur fallacia dicti secundum quid ad dictum simpliciter. Scil. Qui litigantes omnia causæ suæ merita per totum processum in solo pignoris jure fundant, illorum causa par est: & per consequens possessoris conditio tunc melior. Quod evenire cernimus in duobus qui simultanee eandem rem pignori acceperunt in solidum, separatim tamen: inter quos lite orta regula procedit *per text. in l. 10. ff. de pign.* At in nostro præsentis casu actor, perinde ut reus, suam intentionem in pignore quidem quod actionis ipsius fundamentum constituit, fundat; sed non solo & nudo, verum qualificato temporis prioritate; quæ qualitas, cum eam præ posteriore possessore præcipuam habeat, ipsi ad fundandam replicationem contra reum prodest, *per text. expr. in l. 12. pr. qui pot. in pign.* Atque hæc de propositione ad quæstionem antecedentem decisivè directæ.

## XXXIV.

Posterior  
(*vid. supra*  
*th. 27.*)  
propositio  
directa est  
ad quæstionem  
Consecuti-  
vam  
tractatur  
tum  
Genericè,  
tum  
Specificè  
inquirendo  
in Rem-  
edia Consu-  
lenti compe-  
tentia, quæ  
sunt vel  
Ordinaria,  
eæq; consi-  
derantur,  
¶

Sequitur nunc altera propositio directæ ad quæstionem consecutivam, hæc nempe: *Pignore posteriori creditori hypothecario in solutum à debitore dato per priorem evictio, utilis actio posteriori adversus debitorem competit.* Quæstio sc. est de remediis creditori, pignus evincibile in solutum accipienti, competentibus. De cujus decisione etiam hîc tractandum. Nam quibus ipsi debitori danti contra dationem ex quocunq; capite sive læsionis, sive erroris sive alterius causæ, maximè *ex l. si non sortem. 26. § centum. 4. ff. de condict. indeb.* jura succurrant, id alia occasione demonstrabitur. Sanè in genere læso creditori remedium aliquod contra debitorem, datione rei evincibilis ipsum lædentem, in jure superesse, extra dubitationis aleam positum est. At *quodnam illud sit*, hoc demum est, quod Dd. permultum facessit negotii, tum generalitate verborum Imperatoris, tum textuum ju-  
ris



ris dissonantiâ in dubio penè inextricabili relictis, qui propterea in diversas planè abeunt sententias. Et quidem sunt, qui *in casu, quo res aliena data fuit in solutum*, creditori datione tali decepto simpliciter ad pristinam actionem regressum aperiunt: idque tum ex natura dationis, quæ nisi rei datæ dominium transtulit, ita ut accipienti eandem habere liceat, l. 38. §. si quis. 3. de V. O. l. 3. pr. de A. E. pro non facta habeatur, §. 14. l. de action. text. expr. in l. 167. pr. de R. I. l. 29. §. 3. de legat. 3. monente *Sicardo ad rubr. C. de contrab. emt. n. 7.* ubi de differentia inter vocabula tradere & dare. cum traditum non videatur, multo minus datum, quod jure avocari potest. *Goth. ad d. l. 3. pr. lit. a.* & datio in solutum propterea à creditore accipiatur, ut inexpugnabiliter eundem de credito suo securum faciat. *Farinac. decis. crim. lib. 1. decis. 46. n. 5. oper. crim. part. 4.* tum ex ipsa partium hoc agentium mente tacita, ceu quæ in ejusmodi negotio dominii translationem & acquisitionem pro liberatione ab obligatione intendunt. In quam sententiam potissimum adducunt, l. si quis aliam 46. pr. de solut. l. 98. pr. ff. eod. eamq; defendunt præter *Hering. de fidejuss. c. 20. §. 21. Berlich. p. 2. decis. 290. num. 20. Dn. Mavius discuss. levam. inop. deb. c. 7. n. 15. & seq. Thesaur. quest. for. lib. 2. quest. 88. n. 4. & seqq.* qui duo potissimum rem ita temperant, ut dicant, evictione secuta primævam actionem, quæ interim pendente illa datione dormierat, reviviscere: & ita jura de primæva actione loquentia accipienda monent, nempe l. 18. §. f. cum duabus ll. seqq. de jur. fisc. d. l. 46. pr. l. 20. l. 98. pr. de solut. l. libera. 8. C. de sent. & interl. & alias.

## XXXV.

Cum quibus Dd. alii quoq; faciunt, *Clarius* tamen loquentes, dum differentiam constituunt, ab objecto vario dationis in solutum, quod ex parte accipientis intervenit: & *in casu* quo negotium hoc permutationis vice fungitur, ad primæva jura regressum concedunt: quemadmodum & *in casu* ubi fungitur vice venditionis; ita tamen, ut quoad hunc posteriorem casum, mediâ jurisprudentiâ adhuc in favorem creditoris adjunctam utilem ex emto actionem contendant, libero arbitrio ei, qui in solutum accepit, relicto, quam ex his uti velit, per l. 24. pr. de pignor. act. ibi: *Imò utilis ex emto accommodata est. d. l. 8. d. l. 4. C. de evict.* quasi compatibles sint hæ actiones, cum nullibi injure adjunctio utilis alicujus actionis directam ejusdem negotii actionem tollat. Quam sententiam

D 2

pau-

In sese,  
qua doctrina  
Proponitur  
tam in casu,  
quo datur in  
solutum  
Res aliena.  
Vbi recensetur  
sententia  
tum  
Falsa, qua  
profertur ab  
Authoribus  
partim non-  
nihil  
Obscurè.

partim  
Clarius.



paucis proponit Hillig. D. E. lib. 16. c. 9. H. ibi: interdum præterea utilis: multis autem defendit Nic. Burg. tr. de evict. c. 12. à n. 1. ad 6. usq; c. 7. eamq; tandem etiam amplectitur Vinc. Cabot. disp. lib. 2. c. 27. suoq; calculo veriorum esse arbitratur.

XXXVI.

tum  
Vera,  
qua  
&  
Præmuni-  
tur  
præliminari-  
bus  
1.

Sed quamplurimis hæc opinio in jure nostro suspecta apparet: qui propterea ab eadem secessum faciunt, & in tali casu quoad posterius membrum, nempe quando in solutum datio venditionis vice fungitur, regressum ad primæva jura planè denegant: quorum cumulo nos aggregabimus, eorum opinionem latius deducturi & defensuri. *Præmittimus*

a. 1. dationem in solutum in genere esse negocium, quod ex ipsa re nomen accepit, & ad sui perfectionem necessario rei interventum, ad similitudinem realium contractuum, de quib. tt. 1. quib. mod. re contrah. obl. text. eleg. in l. 1. §. 2. ibi: *permutatio ex re tradita initium obligationi præbet. ff. de rer. permut. l. 3. C. eod. requirit.* Cui consequens est 2. quod hoc negocium, perficiendum adhuc, neutiquam sapiat realium contractuum naturam; sed quicquid, antequam perfectionem hanc acceperit, actum fuerit inter partes, id omne nudi tractatus & pacti nomine (quod quia futuri contractus est præparatorium, nec moribus etiam nostris obligat. Du. Carpzov. I. F. p. 2. constit. 33. def. 23.) veniat: cum aliud sit placitum de contractu ineundo, aliud ipse contractus præsens: uti aliud est promissio de solvendo, aliud ipsa solutio. Quæ sententia Dd. in hac materia communis est, qui dationem in solutum ubi jam facta, pœnitentiam excludere Hering d. l. n. 6. atq; irrevocabilem esse Decius conf. 308. n. 1. Asin. tr. de execut. §. 4. c. 51. per tot. Joh. Deckher. disp. 5. lib. 1. n. 1. Berlich p. 2. decis. 196. n. 7. perpetuam. Farinac. decis. rot. Rom. p. 10. perpetuam sui natura, & non resolubilem Menoch. conf. 1182. n. 5. statuunt; faciendam autem adhuc nec dationem in solutum esse, Asin. d. l. c. 50. n. 1, nec impedire, quo minus recedens vel debitor, debiti quantitatem offerendo, liberetur, per l. 46. pr. de solut. ut ex Briss lib. 1. de sol. p. 331. colligit Hillig. D. E. lib. 16. c. 9. lit. I. vel creditor creditum à debitore persequi possit; Vti in causa quadam Nerolin-gensi Georg. Mayers contra David Fischern Facultas Jur. Argent. nuper m. Mart. in terminis, & quidem in rationibus pro implorato decisivè adductis ita respondebat. *Sich hierüber auff die Gerichts-Protocolla beziehend / auß welchen nicht würde beschrien werden können / daß S. Kläger oder implorat jemalen solche Morgen äcker vnd Capital in solutum angenommen / oder*

dere



dergleichen ihm von H. Vormündern gebührend wäre cedit und einges-  
 raumet worden. *Datio autem in solutum, non secuta traditione, est imper-*  
*fecta: & retinet indolem tractatus, in quacumq; circa eam partes convenere:*  
*consequenter pœnitentiâ impune locum relinquit. arg. pr. l. de emt. vend.*  
*Boër. decis. 337. n. 1. Matth. de Affl. decis. 335. n. 18. Gratian. 3. dis. forens.*  
*n. 17. novissime Ferd. Arias de Mesa. 1. V. R. 40. num. 4. Repetimus 3. ex*  
 Th. 23. negotium hoc, ut ut principaliter ad obligationis distractionem  
 peragatur, simul tamen contractum aliquem involvere. Is ipse verò cum  
 sit vagæ & indeterminatæ naturæ, simileque nomen arg. eorum, quæ de  
 permutatione tradit Dn. Hahn. ad Wesenb. de præscr. verb. n. 1. habeat, aut  
 potius nomen contractui alicui planè non accommodatum: idcirco ejus  
 natura ex nomine solo æstimanda non est, sed ex re ipsa & negotio gesto,  
 it. de præscr. verb. Cum autem ejus objectum varium sit, quod supra  
 ostensum, variaque inde ejus natura, ob quam interdum pro venditione  
 habetur, interdum pro permutatione: hinc diversa omnino ejus debet esse  
 consideratio, diversi effectus, remedia etiam diversa, quæ ob evictionem  
 subsequutam competere debent: prout etiam diversa sunt negocia ista, quæ  
 representat. Contractus namque assimilati uti regulantur secundum na-  
 turam illius contractus, cui assimilantur, l. 5. §. 4. de præscr. verb. l. 1. §. 9.  
 depos. Gail. 2. O. 23. n. 22. ita multo magis unus contractus de alterius, cum  
 quo in substantia idem est, natura per omnia ex identitatis ratione parti-  
 cipat. Vid. Eberh. in loc. leg. loc. 13. n. 5.

## XXXVII.

Quandoque ergo pro pecunia numerata debita in solutum da-  
 tur species, vel aliud generis diversi, vel pecunia etiam numerata pro spe-  
 cie Ferd. Arias de Mesa d. V. R. lib. 1. c. 40. n. 13. &c. quia tunc distrahendo  
 novum simul negotium & nova obligatio re ipsa potissimum, quanquã non  
 ex principali partium intentione, Hillig. D. E. lib. 16. c. 9. lit. H. contrahi-  
 tur, quod negotium alio nomine, quam venditionis perfectæ & traditione  
 adimpletæ venire nequit, (ut ex Th. 24. constat) quodq; per se subsistit,  
 etiamsi res aliena vel obligata fuerit data, l. 11. §. 2. de A. E. idcirco per  
 hanc quasi novationem realem prior obligatio cum omnibus accessoriis  
 fidejussoribus & pignoribus (cauti ergo in hac re ut sint accipientes, si-  
 bique reservationibus prospiciant, subinde monent Dd. Fr. Nig. Cy-  
 riac. contro. for. 500. n. 30. & seq. Gasp. Ant. Thesaur. 2. quest. for. 28.  
 n. 9.) ipso facto planè & illicò extinguitur; quod manifesti juris esse re-

D 3.

scri-

Indicatur  
 distinguendo  
 an detur  
 species  
 pro  
 Pecunia  
 numerata.



scribunt Impp. in l. 17. C. de solut. & ex nova, in quam potissimum facto suo eandem transfuderunt, nexus inter partes oritur, non nisi remedio, novo huic negotio convenienti, judicialiter dirimendus. Quod aliud non est, quam actio ex emto, arg. l. 1. §. 9. depos. non directa tamen propter defectum intentionis principalis ad vendendum; sed utilis, propter mentem legis, actionem ex emto concedentem, etiam ubi verbis aperte & principaliter non contrahitur emtio. Vinc. Cabot. disp. lib. 2. c. 27. sive ubi per consequentiam contracta venditio, re nim. pro pecunia ex consensu data: uti hanc rationem ita adfert Hillig. D. E. d. lib. 16. c. 9. lit. H. eamque etiam agnoscit ex Fulgos. ad l. 24. pr. de pign. act. Ferd. Arias de Mesa d. 1. V. R. c. 40. n. 10. & c. 42. n. 9. qui tamen illam Castrensis ad d. l. 24. rationem, quod præsens non fuerit precium, neque solutioni paratum, malè approbare videtur. Quod autem utilis ex emto actio competat, id in terminis tradit Vlp. in 24. pr. de pign. act. Hæc actio tamen non instituenda prius est, quam si res fuerit reapse evicta, l. 3. C. de evict. nisi debitor sciens rem evincibilem in solutum dederit, §. ult. I. de contrah. emt. text. expr. in l. 30. §. f. de A. E. l. 6. §. f. eod. vid. tamen quid de hac glossæ exceptione sentiat Sichard. ad l. 3. C. de evict. n. 7. Add. Perez. in comm. d. t. n. 19. Quæ omnia vera etiam sunt, & procedunt in casu illo speciali, quo pro re venali loco precii aliam rem non æstimatam quis præstat. qui casus habetur in l. 1. C. de rer. perm. idque ob rationem hanc, quod hoc negotium licet non sit emtio, sed permutatio esse videatur, illi tamen propius, quam huic, imò proximè accedat. Diod. Talden. in comment. ad Cod. d. t. n. 3. Dixi: pro re venali. Si enim venalis non fuisset, permutatio esset, & per consequens alterius ac diversæ naturæ. Quam diversitatem latè ostendit Sichard. ad Cod. d. t. uti etiam num. 1. legem illam, secundum communem Dd. opinionem, singularem esse dicit, nec in toto jure alibi reperiri. Add. Nicol. Burgund. d. tr. de evict. c. 13. n. ult.

## XXXVII.

An verò de-  
tur pro  
Specie, &c.

Cæterum uti cum species pro specie, vel genus quod non est pecunia numerata, pro genere alio, aut pro specie, vel contra, in solutum datur, negotium id est planè aliud & diversum à priori (quicquid etiam in contemptum veterum potissimum Jctorum contra nugetur Michaël de Luna lib. singul. lect. iur. §. 1. n. 21. & seqq.) & tale quidem quod non est simile tantum permutationi, ut malè Nic. Burg. d. l. c. 12. n. 6. ex quo falso principio etiam cessare actionem de evictione statuit; aut malè, per ea, que  
th.



*th. præc. dicta, juncta l. 1. 2. C. l. 2. ff. de rer. perm. l. 29. C. de evict. sed revera*  
 permutationis nomine venit, seu in speciem contractuum innominato-  
 rum do ut des incidit, *per text. in l. 5. §. 1. de præscr. verb. l. 7. C. de rer.*  
*perm. §. 2. l. de E. V. & arg. eorum, quæ supra th. 24. ex Hilligero allata.*  
*Steph. Grat. tom. 1. disc. for. 3. num. 17. Surd. d. cons. 145. n. 34. & seqq. &*  
*& Dd comm. omnes, qui vicem permutationis obtinere hoc in casu asse-*  
 runt: Ita & aliud planè de eo statuendum, omne scil. illud, quod contra-  
 ctuum innominatorum & in specie ipsius permutationis proprium est.  
 Scil. cum illa non nisi rei propriæ datione in rerum naturam producat,  
*l. 1. §. 3. ff. l. f. C. de rer. perm. nec ea, quæ fit rei alienæ traditione ad effe-*  
 ctum obligandi accipientem quicquam operetur *Dn. Franzk. comm. ff. de*  
*evict. n. 356. & seqq.* exinde apparet, quod in datione in solutum non aliter  
 recedatur à primæva obligatione, quam quatenus revera quid datum est,  
 & datum etiam manet *per l. 98. pr. de solut. & rationem l. 29. §. 3. de legat. 3.*  
 at re aliena datâ nihil adhuc est datum, cum semper à domino suo avocari  
 possit: ut ita, quantum ad ipsum, rem talem accipientem, totum hoc nego-  
 cium adhuc in nudi tractatus terminis subsistat, adeoque ab ejus voluntate  
 pendeat, utrum vel mox, re illa aliena accepta restitutâ, ex primævâ actio-  
 ne ad debitum consequendum, *arg. l. f. de cond. ca. dat. agere velit: quia*  
 licet contraxerit permutationem, & alterum sibi obligaverit, pœnitentiæ  
 tamen locus est, ubi alter non implevit; aut intentare potest actionem præ-  
 scriptis verbis ad interesse, *l. 4. C. de rer. perm. l. 5. §. 1. de præscript. verb.*  
 vel usque dum evicta fuerit, *arg. l. 3. C. de evict. expectare, si conditionis*  
 usucapiendi, in quam per dationem in solutum constitutus est, emolumen-  
 ta, secundum jus Justinianæum, aucupari mavult, *tt. pro soluto, l. 4. §. 17.*  
*de usucap. per ea, quæ habet Franzk. comm. ff. de evict. n. 356. & seqq. &*  
*Ferd. Arias de Mesa d. l. c. 41. n. 10.* Quod a. hoc in casu primæva jura non  
 sint extincta, atque ad ea redire liceat, id præter rationem, ex analogia juris  
 adductam, & *d. l. 98. pr. de solut. confirmat d. l. 46. pr. eod. ejusq; ratio æquif-*  
 sima: quia non accepisset re integra creditor, nisi ejus fieret. *item l. 8. C. de*  
*sent. & interl. l. 29. §. 3. de legat. 3. maximè v. supra allegata l. 1. C. de rer. perm.*  
 quam præ cæteris urget *Cujac. 19. O. 38.* qui tamen in posterioribus suis  
 scriptis ab hac opinione recessit. Et hæc est communis *Dd.* opinio, testan-  
 te *F. A. de Mesa d. l. c. 40. n. 1. 2. & seqq. & cap. seq. eamq; inter alios sequun-*  
 tur *Steph. Grat. d. l. Fr. Nic. Cyriac. contr. for. 500. Vinc. Cabot. d. lib. 2. disp.*  
*6. 27. Dn. Franzk. comm. ff. de evict. n. 345. & seqq. Perez. C. de evict. n. 4.*



## XXXVIII.

quàm  
(vid. supra  
th. 34.)  
in casu, quo  
in solutum  
datur  
Res aliis pi-  
gnori  
obligata.

Sed hæc omnia ita quidem & evidenter se habent, quando res aliena pro specie in solutum data fuit. Verùm *Quid dicendum, si pro re (non pecuniâ numeratâ) debita species, non aliena quidem, sed oppignorata, aut (ut quæstione hac casui legis nostra propius accedamus) pignus in solutum datur, quod tamen post aliis quoq; obligatū fuisse apparet, an tunc eadem obtinent, quæ in priori casu, quo pro re debita res aliena data fuit, obtinere in th. præced. diximus?* De actione præscriptis verbis de eviçtione, si res hæc oppignorata eviçta fuerit, dubium est nullum, per l. 29. C. de eviçt. l. 1. §. 1. ff. l. 1. C. de rer. permut. Franzk. comm. ff. de eviçt. n. 347. & seq. Verùm an creditori etiam hoc in casu inde ab initio salva maneant jura sua primæva, adeoque mox ex obligatione sua agere possit (quemadmodum, qui in contractu permutationis, pro re sua propria data, alienam vicissim accepit, conditione causa data id quod dedit, repetere potest) id majoris videtur esse difficultatis. Leges siquidem nostræ non loquuntur in materia permutationis de conditione causa data in alio casu, quam quando res aliena ab altero data fuit; hypothecæ autem subjectio rem alienam facere non videtur, cum debitor ea non obstante dominus nihilominus maneat, ut notum est. Sed & hoc è contra negari nequit, quod rem aliis obligatam in solutum dans, eandem nunquam perfectè creditoris accipientis faciat, arg. l. 38 §. 3. de solut. ac proinde negocium permutationis nunquam perfectè dici possit: cum neq; pro soluta neq; pro data habeatur res non tantum, quæ à possessore ablata est, l. 29. §. 3. de legat. 3. l. 38. §. 3. de V. O. l. 21. §. 2. de eviçt. sed & cujus dominium auferri potest, l. 45. §. 1. de legat. 1. vid. Goth. ad l. 3. pr. de A. E. lit. a. ubi periculo avocationis subjectam rem pro non tradita haberi censet: ob quam rationem in hanc sententiam non obscure inclinatur. Nic. Burg. d. tr. de eviçt. c. 12. n. 8. Verùm quæ nostra hac de quæstione mens sit, in futura synthetica tractatione aperiam.

Doctrina de  
remediis or-  
dinaris  
etiam

(vid. supra  
th. 34.)

Vindicatur.

## XXXIX.

Ex quibus ita deductis facile jam contraria destruitur opinio: maxime si addatur id, quod th. 13. supra fuit dictum. Ea namq; petitione prin-  
ci-



cipii imponit. Præsupponit siquidem utilem ex emto actionem adjectam  
 faltem primævæ esse, & in favorem quidem creditoris; quod ipsum tamen  
 in controversia est. Neque patrocinator ita apertè Nicolao Burg. d. l. 24.  
 pr. de pign. act. (planè autem opus non est, eandem Triboniano adscri-  
 bere: quod audet Ant. Fab. decad. 100. err. 7. notatus ob id à Ferd. Ar. de  
 Mesa lib. 1. V. R. C. 42. n. 4. in qua quippe pro nostra sententia ex analogia  
 juris Ulpianus eleganter ratiocinatur, ut ut verbo *videri* utatur: quod fi-  
 ctionis, dubitantis aut disputantis vocabulum sæpe esse, ner<sup>no</sup> negabit; at  
 nec ipse quoque Burgundus, quod sit sæpe etiam voluntatis verbum: uti  
 ostendunt Dd. ad §. 20. 1. de action. nec verisimile est, Antoninum Imp. de remedio  
 convenienti consultum, si duo hoc nomine competerent de uno faltem, eoque ferè  
 minus utili consulentem Georgium informare voluisse. Add. d. l. 1. C. de rer. permut.

## XLI.

Apparetergò, quod si res in solutum data sive aliena sive oppignora-  
 ta fuerit evicta, de evictione modò actio ex emto utilis, modò verò præ-  
 scriptis verbis competat. Sed ne verbosa hæc disputatio inutilis sit futu-  
 ra, placet circa finem investigare: *Quò bonum sit dicere (uti hac  
 loquendi formulà Scaevola IC. ob eundem finem, ne videretur quid  
 frustra & sine usu insigni statuisset & defendisset, usus est in l. 93. pr.  
 de solut.) vel scire differentiam hanc, utrum de evictio-  
 ne in hoc casu actio ex emto, an verò actio præscriptis  
 verbis competat?* Permultum fanè utilitatis hæc habet inve-  
 stigatio. Etenim si actio præscriptis verbis competere dicitur eo  
 ipso innuitur:

1. Contractum inter utrumque intercessisse innominatum & permuta-  
 tionem quidem, tt. de præscr. verb. & de rer. perm. Et propterea si  
 aliena res (de obligata agetur aliâ occasione) à debitore in solutum data  
 fuerit, posse creditorem

2. etiam ante evictionem, re accepta restituta, adversus debitorem  
 agere ex primævæ obligatione: quia non extincta, ut supra demonstratum.  
 quod interdum longè utilius, quam evictionis casum expectare. Imò

3. si specialiter res aliqua hypothecæ subjecta fuerit, ea verò à debito-  
 re postquam jam deducta in litem, vendita, nec ex precio creditori satisfac-

E

Atum.

Considerantur etiam  
 (vid. supra  
 ch. 34.)  
 Remedia  
 ordinaria  
 quoad  
 Effectum  
 rum  
 Inquisitio-  
 nis  
 in eorum  
 diversita-  
 tem.  
 Qualis ille  
 sit, si dica-  
 tur compe-  
 tere de evic-  
 ctione  
 actio  
 Præscriptis  
 verbis.



Etiam, posse eundem etiam non excusso principali adversus quemcunque possessorem hypothecariam instituere. *Nov. 112. c. 1. §. ab hoc. 3. & inde defunta auth. hoc ita. C. de pignor. uti de hoc casu speciali d. Novellæ constitutionem loqui cum Perezio ad C. de pignor. n. 15. verius nos statuere credimus. vid. qua supra th. 29. in fine dicta.* Quod si verò debitor præsens non sit, vel solvendo non existat, aut hypothecaria illa locum non habeat, posse

4. Eundem venire contra fidejussores vel mandatores *Nov. 4. c. 2. his non valentibus excipere de accessoria obligationis sublâtionem per dationem rei alienæ in solutum facta; quia principalis non fuit extincta. vid. ex parte contrarius Hering. de fidejuss. cap. 20. §. 21. per tot. maximè n. 29. & 30.* Aut si qui tales etiam non sint, aut non idonei, posse

5. Creditorem hypothecaria actione adversus quoscunque possessores, si quæ forsân res pro credito generaliter ipsi hypothecæ subjectæ fuerint, easdem persequi. *vid. Franzk. var. resol. lib. 1. quest. 12.*

6. Omnia hæc procedere, etiamsi res illa aliena in solutum accepta apud accipientem ante evictionem fato perierit. Quamdiu enim pro specie debita rem in solutum datam debitor non fecit accipientis, tandiu ejus rei periculum ad eundem ob cessationem spectat, *arg. l. 3. §. 3. l. fin. de cond. caus. dat.* Possunt huic lucem dare ea, quæ in materia conditionis causa data de cessatione accipientis perspicuè & distinctè (quod ubique solet) superioribus diebus ad illum tit. ff. in ordine lectionum quotidianarum typis imprimi curavit *Celeberrimus IC. Dn. Lauterbach. Patronus, Præceptor & Collega meus observandissimus.* Dicendum quoque,

7. Creditorem, qui in solutum acceperit, si ex primæva obligatione agere nolit, ob id, quod permutationem ex sua parte perfecerit, agere mox posse præscriptis verbis ad interesse, *arg. l. 5. §. 1. de præscr. verb. Franzk. comm. ff. de evict. n. 364. & seqq.* At hæc omnia & alia similia secus se habent, si propter rem in solutum acceptam subsequutâ evictione, actio *ex emto utilis* conceditur. Indicio enim ea est, quòd

1. negotium illud fuerit contractus nominatus, emtio scil. & propterea rei etiam evincibilis traditione sola perfectus. Quòd  
2. novam obligationem prioris obligationis cum omnibus accessoriis planè destructivam induxerit, ut ex illa priori amplius agi non possit neque adversus principalem, neque

vel  
actio  
ex emto  
utilis.



3. si hypotheca specialis ipsi constituta fuerat, adversus ejusdem posses-  
siores.

4. adversus fidejussores vel mandatores; Neque aut

5. possessores rerum generali hypothecæ subjectarum. Quod insuper

6. Res evincibilis, si ante evictionem periret, ipsi in solutum accipien-  
ti peritura esset, l. 21. pr. ff. l. 26. C. de evict. Quod nec

7. ante evictionem ad interesse agi possit, l. 3. C. eod. Dico ad in-  
teresse; ad cautionem enim aut liberationem ab obligatione pignoris,  
etiam ante evictionem remedia dari, ex jurè accuratè docet *Sichard. ad d.*  
l. 3. *Add. Diod. Tulden. in comm. C. de evict. num. 10.*

## XLII.

Et hæc sunt remedia ordinaria, quæ creditori in solutum accipienti,  
rem alienam vel obligatam, ex negotio gesto post evictionem maximè  
competunt: & quidem etiam si inter dantem & accipientem de evictione  
præstanda nihil convenerit, l. 6. C. de evict. Fluunt enim illa ex cujusvis  
negocii natura, l. 60. ff. eod. *Treutl. vol. 2. 2. 6. a.* siquidem naturalia con-  
tractuum sunt ea, quæ contractibus, etsi expressa non sunt, tacitè tamen,  
nisi pacto fuerint immutata, insunt. Quidnam autem vel actione ex  
empto vel actione præscriptis verbis de evictione persequamur, id videri  
potest apud *Franzk. comm. ff. de evict. n. 899. & seqq. junct. n. 349. & seqq.*  
*Balthas. Pract. resol. Jur. Civ. & Bavar. part. 1. tit. 8. resol. 2.* Paucis.  
In præsentī nostro casu Georgius à dante consequetur prædii, jure pi-  
gnoris evicti, precium, l. 60. ff. l. 16. C. de evict. l. 9. l. 21. l. 29. C. eod.  
& interesse omne, *dd. ll. tum lucri cessantis, l. 8. ff. eod. tum damni*  
*emergentis, l. 17. C. eod. sumtus item in prædium meliorandum fa-*  
*ctos, per l. 9. l. 16. l. 45. §. 1. ff. de A. E. non tamen semper, vid. ad*  
*hunc tit. Perez. in prælect. num. 12. Pacius in anal. num. ult. Diod. Tul-*  
*den. in comm. n. ult.* Cæterum si stipulatione sibi creditor de evictione  
cavit, ex illo stipulationis contractu actio nascetur. *Franzk. in comm. ff. (vid. supra*  
*de evict. n. 843. & seqq.* quæ tamen primævam actionem, si liberatio per  
dationem in solutum non contigit, non tollit. per ea, quæ contra Bartol.  
disputat *Nic. Burg. d. l. c. 12. n. 8.* Quod si sciens rem alienam vel hy-  
pothecatam dissimulata qualitate in solutum dedisset, improbo & cri-  
minoso facto, ut loquitur legis nostræ author in l. 1. C. de crim. stellion.  
se commaculasset, stellionatus scilicet, ejusque poena insuper afficiendus fo-  
ret, l. 3. ff. l. 2. C. eod.

sum  
Persecutio-  
nis.

Sequuntur  
(vid. supra  
th. 34.)  
remedia  
Extraordi-  
naria,

## XLIII.



## XLIII.

Adjiciuntur  
tandem  
(vid. supra  
th. 27.)  
ex textu  
propositio-  
nes  
Minus  
principa-  
les.

Et hæc de principalibus propositionibus ad quaestionum propo-  
situm decisionem immediatè spectantibus pro ratione instituti, nec non  
pro temporis angustia, attulisse sufficiat. *Minus principales*

autem propositiones quamplures in textu nostro latere nemo diffitebi-  
tur. Eruamus coronidis loco sequentes:

*Volenti creditori aliud pro alio solvi potest.*

*Solutio, propriè & naturaliter loquendo, est ipsius rei debitæ  
prestatio.*

*Alio pro alio soluto, ficta dicitur facta solutio: dicitur datum  
quid esse pro soluto.*

*Res non minus obligantur, quam persona.*

*Pignus & quodcunque jus in re rem obligat.*

*Res obligata pignori à domino debitore efficaciter potest alie-  
nari, vendi, in solutum dari.*

*Res una pluribus pignori obligari potest.*

*Jus in re acquisitum, e. g. pignus, sine factò nostro, nobis muta-  
ri & auferri nequit.*

*Evictio ex causa quoque pignoris fieri solet.*

*Evictionis ad prestationem tum demum quis obligatur, cum  
res jure fuerit evicta.*

*Re evicta evictionem passo remedium contra authorem com-  
petit.*

*In solutum datio est distractus.*

*In solutum datio est contractus.*

*In solutum datio interdum vicem venditionis obtinet.*

*Actio ex emto de evictione est duplex: directa & utilis.*

E I N I S.




X 2615886

WMA











B.I.G.

Farbkarte #13

*Cum DEO!*  
**A N A L Y S I S**

17  
A. 12  
1660, 1.

L. 4. C. de Eviction.  
MATERIÆ

De

**DATIONE IN  
SOLUTUM,**

Von  
**Geben und Annehmen an Zahlungs  
Statt/  
Præguftum exhibens.**

Quam  
*Illustriſſima & Perantiqua* *Universitatis Tubingensis,*  
**SENATU AMPLISSIMO**

*decernente*  
&  
**NOBILISSIMO ICTORUM ORDINE**  
*annuente*

**Solemni Eruditorum Examine**

**PRO LOCO  
IN FACULTATE JURIDICA,**  
*juxta morem obtinendo*

**JOHANNES ANDREAS Fromman**  
*decēter ſiſtit.*

U. J. D. & Professor.

*Respondente*  
**THEODORO HASENLOFFIO, Austriaco.**  
TUBINGÆ,

Ad diem 8. Junij, in AULA NOVA.

*Typis Kernerianis, Anno M. DC. LX.*

55

